DE PRAEPOSITIONUM USU APUD AESCHYLUM.

SPECIMEN PRIMUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT
HERMANNUS MENGE,
SEESENSIS.

GOTTINGAE
EX OFFICINA ACADEMICA E. A. HUTH.
MDCCCLXIII.

Quum apud me constituerem scribere de legibus quas Aeschylus secutus sit in usu praepositionum, minime me fugit hoc consilium haud exiguis impediri difficultatibus. Primum enim videbam hujus poetae tragoedias tam depravatas ad nostram aetatem pervenisse, ut permultis locis vix umquam verba integra et lectiones dubitatione vacuae restitui possent, id quod disputationes, quae tractant res magna ex parte in librorum fide positas imprimis difficiles reddat necesse est. Deinde considerabam, etiam de praepositionibus ita crebas esse res et quaestiones, quae in dubio versarentur, quae ab hac parte hominum doctorum pro certis haberentur, ab altera improbarentur atque repudiarentur, ut saepissime in animis eorum qui huic rei operam navassent dubitatio deberet cooriri, quo se verterent, ex cujus praeceptis sumerent regulam et judicium quod disquisitionibus suis adhiberent. Attamen mihi haec perpendenti constare videbatur cujusvis scriptoris opera tum demum certo corrigi et emendari, facile explicari, penitus perspici posse, si in omnes vel minimas partes explorata et disquisita essent; imprimis vero maximi emolumenti ubique fore ad usum particularum, interjectionum, articuli, praepositionum etc. animum dirigere, partim quia unusquisque scriptor in iis propria quaedam et singularia praeberet, ut nisi cum maxima circumspectione ex uno in alterum quid transferri non liceret, partim quia ars et virtus scriptorum etiam in his rebus quae tam leves et minutae viderentur clare compareret.

Quibus caussis commotus non alienum fore putabam de ratione quam Aeschylus secutus sit in usu praepositionum paullo accuratius agere, ita ut nihil quod mentione dignum esset silentio praeteriretur. Id appetam ut demonstrem quomodo e primaria quae e locali nascitur significatione ceterae sint coortae et profectae significationes, omnia [1] quae apud Aeschylum inveniuntur exempla praepositionum afferens et in ordines classesque redigens eodem fere modo quo Ellendtius in lexico Sophocleo [2]. De formis praepositionum atque de compositis ea quae necessaria sunt non negligam afferre. Etsi vero ex rei natura est eam partem dissertationis in qua agetur de praepositionum significatione constituenda amplissimam esse quod attinet ad externum ambitum; atque etsi omnino non nego eam permagni esse momenti utpote in qua multae res Aeschylo propriae sint tractandae: tamen neutiquam putabam eam graviorem esse quam alias quaestiones cum praepositionibus intime cohaerentes. Namque quum alii scriptores alio modo praepositionum significationes definiant et tractent; quum ipsa ratio quales hac in re se ostendunt ansam nobis praebeat dijudicandi, quanta fuerit indoles et vis eorum ingenii, tamen censebam praecipue poetarum proprietatem ingeniumque non minus certo intelligi e ratione, qua praepositiones collocaverint, qua earum partes gravioribus vocabulis, ut adjectivis, participiis, substantivis, expleverint, qua praepositiones certis legibus omiserint aut cumulaverint aut adjectis vocibus corroboraverint, qua praepositiones inter se commutaverint, qua verba simplicia distinxerint a compositis et quae sunt similia. Quum enim

[1]) Non solas Hermanni et Dindorfii editiones accuratissime hac in re respexi, sed omnes editiones respectu dignas, et dissertationes, quae mihi ad manum erant.

[2]) quo opere egregio et splendido saepissime usus sum cuique permulta debeo.

significatus praepositionum finibus satis arctis coerceretur, ut poetae ad certam necessitatem alligati essent, in his rebus saepissime plane suae erant potestatis ut omnibus possent probare quantum etiam tam parvis rebus posset effici. Ex quibus igitur tam multis quaestionibus nonnullas una tractabo cum praepositionum significationibus constituendis, alias me posteriore quodam tempore absoluturum esse spero atque confido.

Quodsi hoc libello aliquantulum contulero ad intelligendum magnum hunc poetam, cujus tragoediae quales nunc exstant maximis verborum difficultatibus laborant; si aliis qui ei operam navabunt et industriam paullulum in hoc studio subsidii suppeditavero, magnum rei fructum percepisse videbor.

I. De praepositionibus quae cum uno casu conjunguntur.

A. *cum genetivo.*

ANTI.

1. *De forma.* Anastrophes ut notum est haec praepositio caret, quia plus duas habet moras (cf. Ellendt. lex. I. p. 171; Kruegeri gr. gr. I. 9, 11, 3) [1]); quam legem Hermannus in cens. Med. Elmsl. v. 1143 falsam esse frustra judicavit, id quod ipse postea intellexisse videtur. Utut

---

[1]) Falsa igitur Schneidewini scriptura in conjectura non probanda Ag. 136 (144 Dind.) *τούτων ἄντι.*

haec res est, de Aeschylo eo minus dubitatio cooriri potest, quandoquidem uno illo loco Ag. 1277 [1]) quo ἀντί casui suo postpositum est propter elisam vocalem ι et interpositam voculam δέ de anastrophe ne ullo quidem pacto cogitari licet; cf. Kruegeri gr. II. 68, 4, 2.

2. *De significatione.* ἀντί duodevicies apud Aeschylum genetivo additum reperitur; cujus primaria notio localis „e regione, contra" ab Atticis omnino admissa non est nisi in compositis (de Xenoph. an. IV. 7, 6 cf. Kruegerum II. 68, 14, 1). Indicat vero ἀντί

a) aequalitatem vel exaequationem duarum rerum quarum altera alteri substituitur; ita connectitur praepositio cum verbis permutandi et reddendi ut vices notentur, vel similia comparentur, vel res aliqua compensetur. Cho. 309 ἀντί μὲν ἐχθρᾶς γλώσσης ἐχθρὰ γλῶσσα τελείσθω; 312 ἀντί δὲ πληγῆς φονίας φονίαν πληγὴν τινέτω; 520 τὰ πάντα γάρ τις ἐκχέας ἀνθ᾽ αἵματος ἑνός (ut unam caedem resarciat); Ag. 1318, 1319 ὅταν γυνὴ γυναικὸς ἀντ᾽ ἐμοῦ θάνῃ, ἀνήρ τε δυσδάμαρτος ἀντ᾽ ἀνδρὸς πέσῃ; Suppl. 966 ἀντ᾽ ἀγαθῶν ἀγαδοῖσι βρύοις; Ag. 1545 ἄχαριν χάριν ἀντ᾽ ἔργων μεγάλων ἐπικρᾶναι [quem locum multi prorsus perverse interpretati sunt opinantes ἔργα μεγάλα esse splendida Agamemnonis facta cf. Karsten. p. 308; intelligitur dira Agamemnonis occisio a Clytaemnestra suscepta; ἀντί igitur ibi non est „ut praemia tribueres", sed „ut compensares, redimeres." Quam explicationem recte habere ipsa illa re comprobatur, quod non solus genetivus est positus sed ἀντί. (Longe diversi sunt loci quales Ag. 729, 821)]. Ag. 1560 ὄνειδος ἥκει τόδ᾽ ἀντ᾽ ὀνείδους [2]). In Prom. 31 ne putave-

---

[1]) Versuum numeros desumpsi ex editione tertia G. Dindorfii a. 1857; fragmenta signavi numeris collectionis Hermannianae.

[2]) Haudquaquam accurata est explicandi ratio eorum qui dicant ἀντί etiam denotare causam faciendi; negari quidem nequit formulas quasdam adverbiales ut ἀνθ᾽ ὧν, ἀνθ᾽ οὗ, ἀντὶ τίνος etc. frequenti usu imprimis a poetis eo perductas esse ut saepe nihil significent

ris ἀνθ' ὧν simpliciter dictum esse pro „de hisce causis, ὧν οὕνεκα“; significat magna vi praeditum „in poenam talium facinorum.“ —

b) Deinde ἀντί indicat in locum alicujus rei aliam inire, pro aliqua re aliud quid effici vel sumi: „pro, loco.“ Ag. 14 φόβος γὰρ ἀνθ' ὕπνου παραστατεῖ; 434 ἀντὶ δὲ φωτῶν τεύχη καὶ σποδὸς — ἀφικνεῖται; 1277 βωμοῦ πατρῴου δ' ἀντ' ἐπίξηνον μένει; Cho. 342 ἀντὶ δὲ θρήνων ἐπιτυμβιδίων παιὰν νεοκρᾶτα φίλον κομίσειεν [1]). Cum brevitate quadam in Sept. 1050 dictum est ἀλλ' εἰς ἅπαντας ἀνθ' ἑνὸς τόδ' ἔργον ἦν quae verba interpreteris „sed injuriae ejus omnes tetigerunt quum unus dignus esset qui puniretur.“ (Aliis locis poeta hanc obscuriorem dicendi rationem vitavit cf. Eum. 37: τρέχω δὲ χερσὶν, οὐ ποδωκείᾳ σκελῶν). Similis est locus in Ag. 1061 σὺ δ' ἀντὶ φωνῆς φράζε καρβάνῳ χερί, quo ἀντί usurpatum est praegnanti modo pro enunciato idem declaranti: ἐὰν φωνῇ φράζειν μὴ δύνῃ φράζε καρβ. χερί. — ἄλλος ἀντί τινος (Prom. 467; Ag. 1268) pro ἤ τις (Prom. 440; Sept. 851) ex usu tragicorum et gravissime dictum (cf. Soph. Ag. 444; Oed. Col. 488; Trach. 1226; Pflugk. ad Eur. Hel. 574). Ut αἱρεῖσθαί τι ἀντί τινος haud raro idem est quod αἱρεῖσθαί τι μᾶλλον ἢ ἄλλο τι, sic etiam in Sept. 264 τοῦτ' ἀντ' ἐκείνων τοὔπος αἱροῦμαι σέθεν „hoc verbum libentius abs te audio quam illa.“

---

nisi »quapropter, quare«, qui sensus facillime oriri potuit; sed quis de ea causa contenderit ἀντί idem esse quod ἕνεκα? Nonne utique improbandum est quod Ellendtius verba illa in Soph. El. 537 explicanda esse dicit »propter fratrem«? cf. ibi Schneidew. Cautius quam ab Ellendtio quaestio haec paucis tractata apud Viger. p. 572. X.

[1]) De Ag. 179 relego ad Ahrens. (Philol. Suppl. I. p. 292): non video cur lectio Medicei mutanda sit, quamquam conjecturam Emperii ἀνθ' ὕπνου et ipsam egregia esse sententia negari nequit. Rejicienda est lectio quam Hartungius in Ag. 1288 (1366) secutus est cf. ea quae sub ἐκ disputata sunt.

3) *Composita* numerosa semper fere ex regula dicta raro difficultates praebent. Utitur vero *ἀντί* in compositis apud Aeschylum his significationibus: a) „e regione, contra.“ *ἀντίπορος* Pers. 67; Suppl. 544 („trans mare situs“; cf. Blomf. gloss. Pers. 67); *ἀντήλιος* Ag. 519 („soli expositus“; cf. So. El. 1375; de forma ionica v. Lobeck. Aj. p. 356); *ἀντιστάτης; ἀντιτάσσειν; ἀντιλέγειν; ἀντηρέτης; ἀντισπᾶν* Prom. 337 („in oppositam partem trahere, retinere“) etc. b) remunerationem indicat in bonum et malum sensum, atque vices „vicissim, iterum, mutuo.“ *ἀντιδιδόναι; ἀντινικᾶν; ἀντερᾶν; ἀντίκτονος; ἀντίφονος* Sept. 893 (*ἀντίφονοι θάνατοι* „mors duorum hominum mutua caede effecta“; Eum. 981 *ἀντίφονοι ἄται*) etc. Uno loco *ἐν μέρει* additum est ejusmodi composito ut notio iterationis gravius efferretur Eum. 198 *ἄναξ Ἄπολλον, ἀντάκουσον ἐν μέρει;* semel ea verba etiam simplici adduntur ut idem valeant quod *ἀντί* Eum. 436 *τί πρὸς τάδ᾽ εἰπεῖν ἐν μέρει θέλεις* i. e. *πρὸς τάδ᾽ ἀντειπεῖν*. Saepius adverbia ut *αὖ, αὖθις, πάλιν, αὖτε* locum invenisse pro *ἀντί* in compositis memorare paene supervacaneum est. De Cho. 144 cf. Herm. ad v. 137; rara vox est *ἀνταλαλάζειν* dicta de clamore ab echo reddito Pers. 390. — c) exprimit rem aliquam rei alicui respondere eique parem esse. *ἀντίπαις* Eum. 38. (quocum composito conferas *ἰσόπαις* Ag. 75. *παιδὸς δίκην* Cho. 529, Ag. 724); *ἀντίμισθος* Suppl. 270; *ἀντίδουλος* Cho. 135 (Blomf. ad Cho. 129; sed *δοῦλος ὥς* Pers. 745); *ἀντίκεντρον* Eum. 136, 466; paullo aliter dictum est *ἀντίμοιρον* Cho. 319, quod pro *ἰσοτίμοιρον* scribendum esse vidit Erfurdtius ad So. El. 86; *φάος σκότῳ ἀντίμοιρον* est „lux quae tenebras aequat efficientia et vi“ i. e. „tantundem rerum prosperarum et salutis, quantum antea erat calamitatis et acerbitatum.“ — Aeschylo propria esse videtur ratio, qua vocibus *ἀντήνωρ* Ag. 443 et *ἀντίφερνος* Ag. 406 usus est significantibus „loco viri, dotis“ (cf. vero v. 434). Mentione digna videntur etiam haec vo-

cabula: ἀντίτυπος Sept. 521 „adversarius“ [1]; ἀντίστροφος Suppl. 882 quod etiamsi defendi potest recte Porsonus scholion secutus in ἀμφίστροφος mutasse videtur; ἀντίδουπος „resonans“ unus Aeschylus dixit ter; in Ag. 17 ὕπνου τόδ᾽ ἀντίμολπον ἐντέμνων ἄκος, quae verba significant „parans hoc remedium quod canendo somnum repellit“, caveas ne putes genetivum pendere ex adjectivo quod multi homines docti voluere summa injuria (cf. Karsten. ad v. 16). Namque omnia verba composita in quibus ἀντί significat „contra“ ab omnibus scriptoribus conjunguntur cum dativo dummodo ne sint substantiva. (Compares Sept. 283, 993; Prom. 527 etc. cum Ag. 40 Πριάμου ἀντίδικος [2]) et Sept. 521 Διὸς ἀντίτυπον; Pind. P. 4, 221 ἀντίτομα ὀδυνᾶν) [3]). Quam facile vero ad ἀντίμολπον suppleri possit ὕπνῳ per se patet [4]). Eodem modo in Eum. 553 ἀντίτολμον nullo adjecto dativo positum est quia haud difficulter simul auditur „contra jus fasque“ [5]. Weilium vero perverse egisse qui in Eum. 691 ut ne dativus deesset τότε mutavit

---

1) Quod verbum difficultates affert non tam propter significationem, quae offensionis nihil habet, quam propter metrum, cui non convenit. Versum integrum non esse constat. Num Hermanni restitutio, an conjectura Dindorfii (Philol. 16, 230) ἀντίπνους, an Hartungii ἄντωπον, an Heimsoethii (»die Wiederherstellung der Dramen des Aeschylos« p. 257) ἀντιτυποῦν praeferenda sit, difficillimum est ad discernendum. Mihi propter facilitatem majorem maxime placet scriptio Hermanni.

2) Quo loco quum Mediceus suppeditet Πριάμω ἀντίδικος Engerus posuit Πριάμῳ id quod mihi recte fecisse non videtur quum ἀντίδικος nihil esse possit nisi substantivum.

3) Hermannus ad Eum. 774? cf. Weilium ad v. 752, qui jure hanc constructionem damnavit.

4) Prorsus similia sunt verba in Eur. Med. 2176 ἀντίμολπος ὀλολυγῆς κωκυτός.

5) Duri quidem aliquid haec loci explicatio habere videtur; quare quaeritur an non aptius sit parva mutatione scribi αὐτότολμον quod, ut nuper vidi, etiam Meineke proposuit in Philol. 19, 226. cf. αὐτόβουλος Sept. 1053, αὐτόκλητος, αὐτόσσυτος Eum. 170.

in πόλει omnes nisi fallor concedent. — Vox quae apud Aeschylum certe et fortasse apud cunctos scriptores Graecos sui similem non habet est ἀντιπενθῆ vel ἀντιπαθῆ [1]) exstans in Eum. 782 et 812; nihil aliud significare potest nisi „pro mea injuria, ut maerorem vel injuriam acceptam ulciscar ἀντὶ πένθους, ἀντὶ πάθους." Etsi haec vocabula quod attinet ad compositionem conferri possunt cum raris illis verbis ἀντίφερνος et ἀντήνωρ supra allatis, tamen haud parvum discrimen intercedit. Ego de hac re perdifficili nihil ausim decernere; non nego illam vim verbis inesse posse; sed nonne jam duplex lectio corruptionis suspicionem movet? Locus in Pers. 437 ὡς τοῖςδε καὶ δὶς ἀντισηκῶσαι (cf. Ag. 574) ῥοπῇ, ubi imago desumta est a lancibus et τοῖσδε dativus explicandus praepositionis ἀντί oppositionem indicantis respectu habito, minus difficilis est ad perspiciendum.

Aeschylus his compositis frequentius usus est quam Sophocles et Euripides. Praecipue id animadverti velim quam libenter sumserit imagines a bello, certaminibus et litibus repetitas, cui studio vis praepositionis ἀντί repugnantiam vel vicissitudinem denotantis sane quam favebat.

ΠΡΟ.

1. *De forma.* πρό apud dramaticos semper fere, apud Aeschylum sine ulla exceptione [2]) ut hiatus vitetur in compositis crasi miscetur cum ἐ et ὀ, ut existat syllaba προὐ (πρου? cf. Blomf. ad Prom. 219). Ita in unum coalescit cum augmento ἐ: προὔβης Prom. 247; προὔδωκεν 38; προὐτεθεσπίκει 211; quare Hartungius in Cho. 170 male posuit

[1]) Mediceus illic praebet ἀντιπενθῆ, hic ἀντιπαθῆ.

[2]) ἀπρόοπτος (Prom. 1074) contrahi in ἀπροὔπτος usus linguae non permisit.

προέστη pro quo Aeschylus scripsisset προὔστη [1]). Deinde προὐννέπειν Eum. 852, 98; προὐξεπίστασθαι Prom. 101, 699; προὐνεχθείς Ag. 964; προὖπτος Sept. 846; προὐμόσας Ag. 1196. Forma φροίμιον multo saepius usu venit (sexies), quam προοίμιον (semel Prom. 721). Lobeckii propositio (in prima edit. Aj. v. 1122) in Prom. 354 scribendi προὔστη pro ἀντέστη non necessaria. De voce desperata προυσελεῖν Prom. 438 cf. Herm., Hart., Passow. s. v.; Curtius, Grundz. d. Etym. II. 144.

2. *De significatione.*

a) Ejusmodi usus adverbialis qualem Ahrens. (Philol. Suppl. I. 302) et Meineke (Philol. XIX, 193) in Ag. 251 constituerunt audacissimum in modum, comprobari non potest [2]). Idem de hujus sententia quod attinet ad Theb. 336 et de Karstenii opinione ad Ag. 1008 (911) prolata censuerim. Apud Atticos enim ne πρὸ δέ quidem notionem habet adverbii „antea“, nedum simplex πρό, ac quidem in ipso enunciati fine collocatum. Neque magis in Prom. 696 πρό γε per se positum est significans „ante“, sed aut tmesin ibi esse putandum est quam rationem omnes fere editores sunt secuti (cf. Pierson. in Mus. Rhenan. 11, 107), aut cum Brunckio et Dindorfio consentiendum qui scripserunt πρῴ γε [3]).

b) Praepositio πρό, cujus usus in universum artis finibus est circumclusus, et adverbialem originem praeclare ostendit (cf. Bernhardy, wissensch. Syntax p. 231), apud Aeschylum minoris momenti est partes agens praepositionis

---

1) Idem falsissime in Cho. 756 (817) conjecit προὐμμάτων.

2) cf. Bambergerum idem judicantem in Philol. 2, 317.

3) Posteriorem scriptionem meliorem esse pro certo habeo. Commendatur enim primum πρῴγε lectione Medices πρῶγε; deinde accedit quod notio »praemature« etiam ad sequens membrum καὶ φόβου πλέα τις εἶ trahendum est; quod prohibetur aut tamen maxime impeditur si πρό γε scribitur tmesi constituta.

quam in compositis. Significat vero iis locis quibus praepositionis vice fungitur: *α*) locum ante quem res versatur vel actio fit, semper fere cum verbis quietem pingentibus exceptis locis Ag. 365; Sept. 278; Cho. 788. Facile observari potest, Aeschylum cogitasse, iram metum alios affectus excitatos non *in* corde sed *ante* vel *juxta* cor locum habere. Ag. 179 *στάζει δ' ἐν θ' ὕπνῳ πρὸ καρδίας μνησιπήμων πόνος*; (cf. 976 *δεῖμα προστατήριον καρδίας;* Sept. 288 *μέριμναι ζωπυροῦσι γείτονες κάρζας;* Cho. 390, 183, 1024; Ag. 834; quare etiam dictum est eadem ratione regnante Sept. 834 *κρύος περιπίτνει καρδίαν;* cf. Hart. ad Cho. 372; v. conjecturam quoque Hermanni ad Suppl. 755 (785) *πρὸ καρδίας;* de aliis cogitandi rationibus vide Cho. 102 *ἔνδον καρδίας;* Eum. 679). — Cho. 817 *πρό τ' ὀμμάτων σκότον φέροι.* Urgetur *πρό* in Ag. 365 *πρὸ καιροῦ* oppositum verbis *ὑπὲρ ἄστρων* „scopum non attingens", ut nos dicimus „zu kurz schiessen". In Sept. 278 verba *στέψω πρὸ ναῶν* significant „suspendam in fronte templorum, vorn an den Tempeln". Similiter res fortasse habet in Suppl. 475, ubi verba *πρὸ τειχέων* esse possunt „vorn auf den Mauern", sicut etiam Latini dicunt „pro muris, tectis" (cf. Kritz. ad Sall. Jug. 67, 1); neque vero contenderim haec verba simplicius significare non posse „ante moenia". In Suppl. 619 Hermannus (Bothius?) rectissime *πρὸ πόλεως* mutavit in *πρὸς π.*, quia illud nihil est; *πρὸ* et *πρὸς* errore non infrequenti commixta (cf. Herm. ad Prom. 250; Cho. 635). Non solutum est judicium de Sept. 164 *Ὄγκα πρὸ πόλεως* quae verba bonum sensum praebentia metro non respondent, quare Hermannus conjecit *Ὄγκα, ὑπὲρ πόλεως* cum hiatu vix (ne in dochmiacis quidem versibus) tolerabili, Hartungius posuit *πρόπτολις*, Dindorfius transpositionibus usus est et lacunam designavit, alii alias vias tentaverunt. Mihi facilius visum est scribere *πρὸ πτόλεως*, cujus sensus non differt ab adjectivo *ἀγχίπτολις* in v. 501. Verba in Ag. 1008 (—1014) nondum omnibus partibus sanata; tme-

sis haudquaquam statui potest quoniam praepositionem excipit genetivus neque sententiae causa *πρό* trahi licet ad *χρημάτων*, quod Hermannus voluit; fortasse accipienda est Ahrensii [1]) conjectura (Philol. Suppl. I. 602) *φορημάτων*. Sive in Suppl. 882 accipietur Hermanni restitutio *λυμανθεὶς σὺ πρὸ γᾶς ὑλάσκοις*, sive aliorum conjecturas probabimus, verba *πρὸ γᾶς* ibi certo constant [2]), quibus sensus inhaeret „depulsus e terra, extra terram vel in litore".

Ex hac prima significatione locali omnes ceterae facile proveniunt. *β)* Primum enim saepe eo quod res ante alteram stat vel collocatur designatur eam graviorem et dignitate priorem esse, alteri rei antecellere: „prae". Quod dilucide apparet e loco qui legitur in Cho. 788 *πρὸ δὲ δὴ ἐχθρῶν τὸν ἔσωθεν μελάθρων, Ζεῦ, θές*, quae verba explices: „da Orestem inimicos suos superare"; ibi notio localis neminem fugiet. Quae non tam manifesta est in Sept. 996 *ἰὼ κακὰ δώμασι καὶ χθονὶ, πρὸ πάντων δ' ἐμοί;* et 928 *δυσαίων σφὶν ἅ τεκοῦσα πρὸ πασᾶν ὁπόσαι τεκνογόνοι κέκληνται* i. e. *μᾶλλον δυσαίων ἢ πᾶσαι* „miserrima omnium". — *γ)* Deinde facile intelligitur, quoniam notioni locali etiam subesse potest significatio tuendi ut apud verba standi et sistendi, quomodo factum sit ut praepositio vim nancisceretur „in utilitatem, auxilium commodum, *ὑπέρ*". Sed tenendum est hunc usum artos habuisse fines quum respectus loci longe praevaluerit. Quare audacia quadam et libertate non carent loci quales Eum. 835 *θύη πρὸ παίδων καὶ γαμηλίου τέλους* (cf. So. Trach. 504; Oed. r. 134), quibus de loco ne ullo quidem modo cogitari potest quia sacra fiunt de commodis et bonis futuro demum tempore obtinendis; *ὑπέρ* ibi magis ex regula fuit. In Ag. 1266 quoque nonnulli (cf. Bothium) hunc significatum inesse censuere, qua

---

[1]) a quo variae hominum doctorum explicationes enumeratae et juste dijudicatae sunt.

[2]) Etiam Heimsoeth. p. 363 ea intacta reliquit.

re nihil perversius esse potest. δ) Vim temporalem πρό habet sexies (oppositum praepositioni μετά); Ag. 137 πρὸ λόχου „ante partum“; 1266 σὲ μὲν πρὸ μοίρας τῆς ἐμῆς διαφθερῶ; 484 ubi πρὸ τοῦ φανέντος [1]) praegnanter dictum est pro „antequam veritas nuntii ipsa rei prosperae praesentia probata est“. Bis legitur formula usitatissima πρὸ τοῦ (πρότου) „antea, usque ad hoc tempus“ [2]) cf. Kruegeri gr. gr. I. 50, 1, 19; 43, 4, 7, quae prorsus respondet nostrae locutioni „vordem“: Eum. 462 τὸν πρὸ τοῦ φεύγων χρόνον; Ag. 1204* πρὸ τοῦ μὲν αἰδὼς ἦν ἐμοὶ λέγειν τάδε (cf. etiam Pers. 529 infra) [3]). In Suppl. 805 ἐλθέτω μόρος πρὸ κοίτας γαμηλίου τυχάν πρό temporalem quidem significationem habet, sed simul etiam notionem „potius quam“, quae notiones propinquissimae sunt; cf. etiam fragm. 372 πρὸ τῶν τοιούτων χρὴ λόγων δάκνειν στόμα i. e. „praestat silere quam talia verba facere“. Quia πρό casui suo numquam postponitur [4]) lectio in Suppl. 827 τῶν πρὸ σύ μάρπτι κάμνοις pro prava habenda et expellenda est; quod judicium ei mirum non videbitur qui consideraverit totum illud canticum corruptissimum esse et desperatum. — ε) Significationem „loco, statt“ apud Aeschylum praepositio πρό non habet; legitur tamen exemplum usum continens non multo diversum. Intelligo Prom. 682 γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνομαι, ubi πρό denotat successionem rei in alterius locum. Qui usus rarissimus et poeticus est; cf. Ar. Acharn. 234; Elmsl. ad Prom. 703; Kruegerum II. 68, 15, 1; Bernhardy. p. 232. — ζ) πρόσθεν, πάροιθεν et προπάροιθεν [5]) ab Ae-

---

1) cf. So. Phil. 876 πρὸ τοῦ δέοντος.

2) pro quo multo saepius simplex adverbium πρίν vel πρόσθεν vel πάροιθεν vel alia adverbia ponuntur.

3) Temere Wunderus »de Aesch. Eumenidibus 1854« in Eum. 576 conjecit ἧστο γὰρ πρὸ τοῦ.

4) Nam exempla apud Bernhardy. p. 231 plane sunt diversa.

5) De forma cf. Kruegerum I. 11, 14, 2; Lobeckium ad Phryn. p. 284.

schylo haud raro dicuntur pro πρό, quae nisi fallor, ob majorem formae ambitum et quoniam non ita saepe usu veniebant, vi et gravitate superabant praepositionem πρό. Nullo loco alia significatione fruuntur nisi locali aut temporali; cf. Sept. 525; Pers. 447; 529; Eum. 46; Cho. 390; Sept. 334.

3) *De numerosis compositis* haec mihi monenda sunt visa: Partim significant motum qui e loco alium locum in anteriore parte situm petit, aut rem quae ante oculos alius jacet vel agit vel patitur, qui usus frequentissimus est quum in propriis dictionibus tum in metaphoricis; cf. προβαίνειν, προϊάπτειν [1]), προπέμπειν, προτείνειν, προνέμειν (χεῖρας Eum. 313), προπιτνεῖν, προδεικνύναι, προκεῖσθαι [2]) (de legibus dictum; cf. Blomf. gloss. ad Pers. 377); πρόσφαγμα Ag. 1278 „mactatio quae fit ante aram, ante focum" (cf. Eur. Hec. 41; Iph. T. 478); de Minerva προνάᾳ cujus in Eum. 21 mentio fit cf. Herm.; O. Muellerum „Anhang zu den Eumen." p. 14; Ulrichs. „Reisen u. Forschungen in Griechenl." I. p. 45, 263; de vi vocabuli προκαλύμματα cf. Herm. et Schneidew. ad Ag. 667 (falsissima est Hartungii interpretatio ad Ag. 638 prolata). Notio tuendi et curandi subest vocibus προκήδεσθαι Prom. 629; πρόμαχος cf. Valck. ad Eur. Phoen. 1005; προθυμεῖσθαι, προθυμία; προστάτης, προστέλλεσθαι „propugnatorem mittere" Sept. 415; πρόφρων; προτάσσεσθαι Suppl. 835 „tueri"; προταρβεῖν; πρόβουλος, προφοβεῖσθαι, in quibus verbis πρό accedit ad vim praepositionis ὑπέρ. — Deinde πρό refertur ad tempus, ut in προυννέπειν, προυξεπίσθασθαι, προθεσπίζειν, προλέγειν (quod verbum etiam est „aperte, libere praedi-

---

1) »Saepe, ubi abundare videtur, habet aliquam vim et fere quam nos per *hin*, *fort*, *her* exprimimus, ut προϊάπτειν *hinschicken*.« Herm. ad Viger. p. 860.

2) De verbo προμυχθίζειν a Dindorfio in Sept. 160 intruso cf. ejus praef. p. XXXIII. Num recte recte fecerit dubium manet.

care"; cf. Sept. 336; Herm. ad Pers. 703), *προμάτωρ*, *πρόγονος*, *προδέρκεσθαι* etc., etiam ita ut sit „nimis mature, prius", cf. *προκάμνειν* Eum. 78. De variis vocis *προτέλεια* explicationibus (Ag. 65; 227; 720) v. Ahrensium in Philol. Suppl. I. p. 242 sqq.; Panzerbieterum ibid. 12, 438; Blomfieldium gloss. Ag. 64; de sensu dictionis *προτυπὲν στόμιον Τροίας* cf. eundem Ahrensium in Philol. Suppl. I. p. 279. — Tum indicat *πρό* in compositis rem rei praeferri et anteponi ut in *προτίειν* (Ag. 768; Eum. 547) et *προτιμᾶν* [1]) (cujus tamen vis interdum attrita; cf. Ag. 1415 et de constructione in Ag. 1672 Schneidew. ad v. 1543; Engerum ad v. 1381 gloss.). — Postremo auget vim simplicis verbi; *πρόκακος* Pers. 986 [2]); 990'; Herm. Suppl. 831 (864), quae vox injuria a nonnullis in dubitationem injecta est; *πρόπας* quinquies; *πρόμαντις* Cho. 758; *προλείπειν*; in *προφθάνειν* Ag. 1028 notionem festinandi magis effert; *πρόξενος* quod quater legitur in Suppl. poetice quidem sed certa ratione dictum est pro *ξένος*. Rarissimum certe compositum est *πρόδουλος* Ag. 945 idem significans quod *ἀντίδουλος* „servi vicem gerens"; cf. Karsten. ad Ag. 954. Addo praeterea haec: *πρόδικος* Ag. 451 quae vox omnino rara est, apud unum Aeschylum significat „arbitrum, dominum, regem", quae notio poetica profecta est e studio poetae imagines petendi a litibus. Neque silentio praetereundum est verbum *πρόκωπος* exstans in Ag. 1651 et 1652, quo in priore versu designatur strictus gladius, in altero audacter is qui gladium strictum habet (*ὁ ἔχων πρόκωπον*

---

1) cf. etiam conjecturam Hermanni in Cho. 394 *κλῦτε δὲ τὰ χθονίων πρότιμα* (*Μ. τετιμέναι*). Heimsoeth. p. 89.

2) Explicatio quam Abreschius et Jacobsius (Anthol. Pal. III. p. 257) dederunt, qua *κακὰ πρόκακα* sint proprie *κακὰ ὄντα πρὸ κακῶν* »mala malis superiora seu majora« nimis quaesita mihi videtur. Verba illa nihil continent nisi gradationem et conferri possunt aptissime cum locutione supra commemorata *γῆν πρὸ γῆς*, ut significent »aliud ex alio malo, Unglück über Unglück«.

τὶν ξίφον). προλεσχος Suppl. 200 „procax", oppositum verbis ἐφολκὸς ἐν λόγῳ, ἅπ. λεγ. est. πρόνομος Suppl. 691 quod neque esse potest „pronus, capite prono pascens", nec „in progrediendo pascens", rectissime Hartungius mutavit in ποιονόμος (cf. Ag. 1169). Num recte habeat προπράσσειν in Cho. 834 difficile est ad discernendum; fortasse defendi potest („exsequere tamquam propugnator"; — perverse Blomfieldius et Bothius explicavere); sed probabilior est sententia eorum qui lectionem codicis corruptam putant. Idem dicendum de προχαιρέτω Ag. 251 (cf. Ahrensium in Philol. Suppl. I. 302; Heimsoethium p. 269). προστόμια Suppl. 3 esse non potest ipsum fluminis os, sed pars terrae ante ostium sita ut Pharos insula; poeta hoc nomine id dicere videtur quod Prom. 847 πρόσχωμα vocat, eam regionem in qua Canopum sitam dicit. Cui significationi etiam praedicatum λεπτοψαμάθων egregie respondet (Herm.) [1]. De βροτοὺς ἐν οἴκτῳ προθέμενος Prom. 239 nihil dicerem nisi viderem multos ut Bothium, Blomf., alios, προτίθεσθαι significare putasse „praeferre" sc. Jovi et diis; est vero nihil nisi „sibi proponere" vel locutio gravior pro θέσθαι ἐν οἴκτῳ q. e. οἰκτείρειν; cf. So. El. 1334. Denique asscribo haec rara vel apud solum Aeschylum exstantia vocabula: πρόπολος Cho. 358 „socius" vel etiam „tyrannus"; πρόπυργοι θυσίαι Ag. 1168 „sacrificia pro urbis salute facta"; προχαλκεύειν Cho. 647 „procudere"; πρόπαρ „antea"

---

[1]) De falsis nonnullorum sententiis cf. ἀποπρό sub ἀπό. Tamen quaeritur an non simplicius προστόμιον, qua voce Polluce teste 2, 90 (ubi cf. Beckerum) notatur commissura labrorum, describere possit ultimam oris partem, et apud poetas os fluminis in universum.

[2]) Quia praepositioni πρό nulla alia tam propinqua est quam ὑπέρ; quia praeterea hujus conjunctio cum accusativo apud Aeschylum quidem multo minoris momenti est quam cum genetivo, jam statim nos vertamus ad tractandam praepositionem ὑπέρ. Ita ἀντί, ὑπό, ὑπέρ, id quod optandum videtur, se excipientia et inter se conjuncta facilem comparationem et conspectum commodum permittunt.

(Eur. Phoen. 120). Num Hartungius Karstenius Weilius jure damnaverint compositum *προβουλόπαις* Ag. 386 utpote quod conflatum esset e notionibus quae coire non possent neque metro conveniret, admodum difficile est dijudicatu. Per se *προβουλόπαις* non minus sensu caret quam alia permulta composita, quae nos in nostro sermone imitari omnino non possumus, ut *αἰνοπάτηρ* (Cho. 315), *αἰνολέων, αἰνοτόκεια, πλουτόχθων* (Eum. 947) alia. Neque id constat, illam vocem metro non idoneum esse; quam putaverim eodem jure defendi posse quo impugnetur.

ΥΠΕΡ.

1) De *forma.* *ὑπείροχος* quod Mediceus praebet Prom. 428 recte et metri et formae causa mutatum est in *ὑπέροχος*. Probandum non videtur quod Ribbeckius in Mus. Rhenan. 14, 627 illam formam retinere studuit permultas molitus mutationes. — De anastrophe, quam haec praepositio patitur, compluribus locis dubitatio esse nequit, ut Prom. 67; Sept. 111; Eum. 684, quibus et substantivum sequitur et in ipso versus fine praepositio posita est. Neque dubitatur de scriptura in Ag. 302 *λίμνην δ' ὑπὲρ Γοργῶπιν* quia *δέ* interpositum est et notio primaria sequitur. Contra in Prom. 66 et Ag. 365 ambigitur; sed certum est illo loco *ὕπερ*, hoc *ὑπέρ* ponendum esse. Ac ne in Pers. 100 quidem, ubi *ὑπέρ* tmesi separatum est a verbo, tonus retro cedat necesse est (cf. infra).

2) De *significatione* praepositionis

a) cum genetivo conjunctae. *ὑπέρ* terdecies secundo casui additum *α*) habet vim localem, indicans aliquid altiore loco versari altero, quod et ad statum quiescentis et ad motum incedentis accommodatum est. Verum non modo significat „super s. supra (*oberhalb, über hin*)“, sed etiam (quamquam rarius et magis apud poetas) „ultra (*über* —

hinaus)". Priore potestate utitur in fragm. 1 *ἀεὶ φυλάσσων τὴν ὑπὲρ πυρὸς στάσιν;* Ag. 576 *ὑπὲρ θαλάσσης καὶ χθονὸς ποτωμένοις;* altera in Ag. 365 *ὅπως ἂν μήτε πρὸ καιροῦ μηθ' ὑπὲρ ἄστρων βέλος σκήψειεν* (cf. Schneidew. ad v. 350; de conjecturis supervacaneis aliorum Jahn's Jahrbb. 71, 311 sqq.; v. et absonam interpunctionem Bothii qui comma posuit post *ὕπερ* ut praepositio per se stet). In Eum. 77 editores recentiores omnes fere *πόντου* quod Mediceus dat mutarunt in *πόντον*, quia non esset caussa idonea cur casum variasse poeta putandus esset. Sed dubitari nequit quin Wieseler. „in conjectaneis ad Eum." p. 18 rectum invenerit qui *πόντου* genetivo intacto relicto pro *καί* posuit *κατά*. Nam Orestes fugere non potest *super urbes*, sed *super mare per singulas urbes*, ut ex una urbe perveniret in aliam; cf. Mus. Rhenan. 6, 176. In Sept. 88 *βοᾷ δ' ὑπὲρ τειχέων ἁ λεύκασπις ὄρνυται λαὸς ἐπὶ πόλιν*, *ὑπέρ* significare non posse „super" apparet, quum hostium exercitus nondum ad muros accesserit, sed e longinquo tantum a choro conspiciatur (Dindorfius praef. p. XIV). Neque vero conjectura opus est quia *ὑπέρ* saepe etiam est „trans" imprimis apud Homerum[1]) (Il. Σ, 228); cf. etiam „super" apud Latinos (Liv. 33, 15). Aliter Bergk. judicavit in Philol. 16, 607; fortasse autem Hartungii conjectura probanda est de caussis ad nexum pertinentibus *στάντες ὑπὲρ τειχέων* (cf. Zeitschr. für östreich. Gymnas. 10, 54)[2]). — β) Sequitur tralatus praepositionis usus. Atque α) *ὑπέρ* describit id quod in gratiam alicujus rei vel personae fit. Eum. 101 *οὐδεὶς*

---

[1]) Etiam compositum *ὑπερπόντιος* Ag. 414 hanc significationem tuetur.

[2]) In Ag. 51 *αἰγυπιοὶ ὕπατοι λεχέων στροφοδινοῦνται*, *ὕπατοι* c. gen. insolenter quidem dictum est, sed sine dubio ab Aeschylo profectum neque temerariis conjecturis tentandum. Nam *ὕπατοι λεχέων* ita ponitur pro *ὑπὲρ λεχέων* ut simul insit notio superlativi: vulturii supra cubilia sublime volant (Weilius). cf. etiam Philol. 12, 432.

ὑπέρ μου δαιμόνων μηνίεται i. e. „ita ut ejus ira mihi sit commodo, ut iratus a meis stet partibus"; 684 εὑδόντων ὕπερ ἐγρηγορὸς φρούρημα (ὑπέρ quod hoc loco sine damno deesse potuit tollit notionem utilitatis et curae; conjungendum est cum ἐγρηγορός). De constructione loci in Sept. 419 τρέμω δ' αἱματηφόρους μόρους ὑπὲρ φίλων ὀλομένων ἰδέσθαι sententiae discedunt. Blomfieldius verba ita conjungi jussit: τρέμω ὑπὲρ φίλων αἱμ. μόρους ὀλομ. ἰδέσθαι i. e. ne videam. Scholiastes qui dicit: ἡ ὑπέρ περισσά fortasse eodem modo construxit. Sed nemo non concedet talem conjungendi rationem nimis artificiosam esse. Idem mihi dicendum videtur de Hermanni explicatione (pag. 302) qui mixtionem duarum constructionum statuit. Non est cur non probemus eam rationem connectendi quam Schuetzius jam secutus est vertens „cruentas mortes virorum pro caris civibus pereuntium", ita ut ὑπὲρ φίλων pendeat ex ὀλομένων. Quod enim a genetivo praepositio dependet conjuncta cum genetivo nihil miri habet; cf. Sept. 228. In Cho. 615 ἅτ' ἐχθρῶν ὑπαὶ φῶτ' ἀπώλεσεν φίλον arridet propositio Porsoni ἐχθρῶν ὕπερ, quam multi editores in verba induxerunt; sed ὑπαί satis graviter defendi poterit; cf. Herm. ad v. 605 [2]). — b) Tum omnino causa cur quid fiat significatur per ὑπέρ c. gen. „super, propter, causa", imprimis si conjunctum est cum verbis querendi [2]) et precandi; (cf. Kruegerum I. 68, 28, 2). Prom. 66 σῶν ὕπερ στένω πόνων; 67. Cho. 508 ὑπὲρ σοῦ τοιάδ' ἔστ' ὀδύρματα; Sept. 112 παρθένων ἱκέσιον λόγον δουλοσύνας ὕπερ i. e. „precantium ut servitus absit, pro servitute averruncanda" (cf.

---

1) Vix necessarium est me addere sexcenties eodem sensu quo ὑπέρ c. gen., etiam dativum commodi apud Aeschylum legi.

2) cf. vero locos multos, quibus solus accusativus positus est, apud Wellauerum in lex. s. v. στένειν, στενάζειν, στενάχειν, ὀδύρεσθαι; de Ag. 571 cf. Schneidewinum ad v. 549, et de Prom. 397 στένω σε τᾶς οὐλομένας τύχας »propter sortem miserandam« v. Krueg. II. 47, 21, 2.

So. Oed. r. 187 cum annot. Schneidew.); Pers. 405 *νῦν ὑπὲρ πάντων ἀγών* „nunc agitur de omnibus"; cf. Pind. N. 7, 42 *μάχα ὑπὲρ κρεῶν*. (Vid. et Weilium ad Eum. 101.)

b) *ὑπέρ* c. acc. conjunctum indicans locum qui supra aliquam rem est apud Atticos omnino non reperitur; sed haud raro cum verbo motum significanti connexum legitur, ut vim habeat „darüber hin". Eum. 250 *ὑπέρ τε πόντον ἀπτέροις ποτήμασιν ἦλθον;* Ag. 302 *λίμνην δ' ὑπὲρ Γοργῶπιν ἔσκηψεν φάος*. Discrimen inter genetivum et accusativum esse non videtur; summum dici potest *ὑπέρ* c. acc. rarius esse et motionem dilucidius pingere quam genetivum, ut eadem sit ratio quae intercedit praepositionibus *ἐν* et *εἰς* conjunctis cum verbis ponendi et collocandi.

Proprius vero et usitatissimus praepositionis *ὑπέρ* c. acc. significatus is est ut locum teneat apud notiones mensurae sensum involvens „supra modulum", quo non differat a *πέρα* c. gen. (Prom. 30, 507; Eum. 414 *πρόσω δικαίων*). Qui usus apud poetam semel reperitur, in Ag. 378 *ὑπὲρ τὸ βέλτιστον*, quae locutio merito omnes fere editores offendit qui multiplicibus conjecturis sanare studuerunt. —

Loco in Pers. 100 *τόθεν οὐκ ἔστιν ὑπὲρ θνατὸν ἀλύξαντα φυγεῖν* Hermannus scholion codicis Vitebergensis secutus restituit *ὑπέκ* quod multi accepere; scholion illud non antiquum esse facile conspicitur et probatur voce *ὑπεκδιδράσκειν*, quae sero demum usu venit. Jam constat *τόθεν* (vel *ὅθεν*?) conjungendum esse cum *ἀλύξαντα;* deinde, sive scribemus *ὑπέρ* sive *ὑπέκ*, tmesin esse statuendam; (cf. Pierson. in Mus. rhen. XI, 111 sqq.), qua notio adverbialis harum praepositionum aliquanto augetur. Si verba sola in judicium vocaremus, et *ὑπέρ* et *ὑπέκ* recte haberet. Illud commendari videtur locis Ag. 358; Eum. 562; Suppl. 874; Eur. Bacch. 861, ubi *ὑπέρ* positum est quum etiam *ὑπέκ* egregie convenisset sententiae; hoc placet propter vocem quae antecedit *τόθεν* (vel *ὅθεν*), quacum *ὑπέκ* aptius consentit quam *ὑπέρ*. Comprobaverim Hermanni mutationem,

cui non scholion illud sed conditio verborum suffragatur, etiamsi non nego ὑπέρ et ipsum gravibus caussis defendi posse. Neque *θνατόν*, quum antecedat *βροτόν*, superfluum est et intolerandum (quod Hartungio [1]) videbatur), sed utique retinendum, quoniam verbis *θνατόν ἀλύξαντα* poeta in memoriam revocat verba *θνατὸς ἀλύξει* (v. 93), quae in initio epodi posita sunt.

3) *Verbis compositis* quae apud Aeschylum inveniuntur ὑπέρ has notiones imprimit: a) localem, „super", et proprio sensu et in metaphoricis dictionibus. Raro vero quietem exprimit ut res vel actio denotetur in altiore loco versans, sicut in Sept. 215 *πόλεος ὑπερέχειν ἄλκαν* [2]); Ag. 967 *σκιὰν ὑπερτείνειν*. Multo frequentius indicat rem fines transire, ultra terminos moveri: *ὑπερβάλλειν* „supergredi" et metaphorice „superare"; *ὑπερθεῖν* Eum. 562; *ὑπερθρώσκειν; ὑπερτελεῖν* Ag. 359 *ἅπ. λεγ.* „transsilire, superare"; *ὑπερτελής* Ag. 286 de quo sine causa idonea dubitavit Ahrensius in Philol. S. I. 488; *ὑπερτοξεύσιμος* Suppl. 473; *ὑπεραίρειν* Ag. 786 (cf. Schneidew. ad v. 749). b) Adjectiva quae in fronte habent praepositionem ὑπέρ semper fere secum habent notionem immoderati, immodici, miri; sunt haec: *ὑπέραυχος* Sept. 483; *ὑπέρτολμος* Cho. 595 *ἅπ. λεγ.*; *ὑπέρτονος* Eum. 569 „admodum intentus"; *ὑπέρπολλοι; ὑπέρπλουτος; ὑπερήφανος; ὑπερμήκης; ὑπέρπικρος* (*ἅπ. λεγ.* Prom. 944); *ὑπέρκοτος; ὑπέρκοπος; ὑπέρκομπος* Aeschyli proprium quinquies legitur; *ὑπέρθυμος* Eum. 824,

---

1) qui pro *ὑπὲρ θνατὸν* scripsit *ὕπερθεν;* Num omnino dici liceat *ὕπερθεν φυγεῖν* admodum dubium est. — Quod quoniam ita mentionem fecimus adverbii *ὕπερθεν*, adjiciatur, hanc vocem bis ab Aeschylo usurpatam nihil in ejus fabulis esse nisi graviorem formam praepositionis *ὑπέρ*. Sept. 228 *ὕπερθ' ὀμμάτων κρημναμενᾶν νεφελᾶν*, ubi vero nunc ab omnibus fere editoribus scriptum est *ὑπέρ τ'*. Ag. 232 *ὕπερθε βωμοῦ — προνωπῆ λαβεῖν ἀέρδην* sc. *θυγατέρα*.

2) Quam locutionem imitari Homericum *χεῖρα ὑπερέχειν τινός* Il. 9, 420, 687 etc. patet.

quod mutatum est in Pers. 372 in ὑπ᾽ εὐθίμου aut ὑπ᾽ ἐκθύμου; ὑπεργήρως [1]); ὑπερβαρής; ὑπέρφεν (cf. Blomf. gloss. Pers. 825). Interdum ἄγαν vim praepositionis aliquanto auget: Pers. 794 τοὺς ὑπερπόλλους ἄγαν; 827 τῶν ὑπερκόπον ἄγαν φρονημάτων; Eum. 824 ὑπερθύμως ἀγὰν; cf. etiam comparativum ὑπερβατώτερα Ag. 428 et copulationes quales τὸν πικρῶς ὑπέρπικρον Prom. 944 (Eum. 161; Ag. 215). — c) Verba composita haud raro indicant praecipue c. gen. conjuncta curam vel tutelam et defensionem, sed etiam contemptum et violationem: ὑπερφοβεῖσθαι Sept. 238, ὑπερδείδειν 293 „pro aliquo timere"; ὑπερδικεῖν Eum. 652 „in gratiam alicujus causam agere"; ὑπερστατεῖν Suppl. 342 „defensorem esse alicujus" (cf. So. El. 188); ὑπερφρονεῖν Pers. 825 „superbe despicere."

Id quod jam antea monuimus de discrimine genetivi et accusativi cum ὑπέρ conjuncti etiam compositis confirmatur. Ea enim verba composs. in quibus ὑπέρ significat: „trans, über — hinaus" conjunguntur c. acc. [2]); cf. Ag. 297; 827; 359; Eum. 562 etc.; si vero praepositio potestatem habet „supra" vel „in gratiam, auxilium", genetivus flagitatur; Eum. 652; Sept. 215; 293 etc.; dativus commodi qui multis locis eodem jure dici potuit, ab Aeschylo admissus non est. Ceterum facile hoc quoque observari potest Aeschylum non minus libenter posuisse verbum simplex praepositione substantivo addita, quam compositum a quo genetivus vel accusativus penderet; (cf. Ag. 302 et 307 etc.).

---

[1]) De accentu hujus vocis, quam permulti ὑπέργηρως scripserunt, vide Göttling. p. 288; Mehlhorn. gr. gr. §. 142 adn. 4.

[2]) Exceptiones quidem hujus regulae inveniuntur (cf. Eur. Bacch. 861), sed rarissime et apud solos poetas.

ΑΠΟ.

1. *De forma.* Constat apud omnes ἀπό ἀναστρέφεσθαι cum substantivum vel substantivum cum adjectivo proxime antecedit; (cf. Ellendtii lex. s. v. ἀπό IV). Prom. 811 *Βυβλίνων ὀρῶν* ἄπο; Pers. 799 *Εὐρώπης* ἄπο; 614 μητρὸς ἀγρίας ἄπο; fr. 306, 6 νηδύος μιᾶς ἄπο. — Sed difficillima fit res si praepositio interposita est adjectivo et substantivo, antecedente nunc illa voce nunc hac. Jam veteres grammatici de hac quaestione inter se non consentiebant; cf. Göttling. „Accentlehre" p. 379 sqq.; Lehrs. „quaest. ep." I. 5 sqq., 9 sqq.[1]). Atque etiam homines docti nostrae aetatis diversissimas tonosis rationes secuti sunt. Rectum esse videtur a) accentum omitti syllaba finali vocis ἀπό elisa sive praecedit substantivum sive adjectivum quam rationem etiam Hermannus et Dindorfius tenuere; cf. Suppl. 95; 101; 207; Prom. 721; Pers. 270; 611; Sept. 412; Ag. 1010. b) Accentum non retrahi nisi praepositio proxime sequitur ipsam vocem secundum sensum majore gravitate praeditam. Si vero adjectivum et substantivum unam efficiunt notionem accentus retro non cedit. Quibus regulis ad Aeschylum tralatis apparet nullo loco ἄπο scribi posse; cf. Suppl. 75; 537; 713; Prom. 748; Pers. 460 (ubi vel in fine versus positum). c) non ἀναστρέφεται ἀπό tmesi affectum. Ag. 65; 1599[2]) (ubi Hartungius male scripsit απο) fr. 137 (?). d) Neque sic quidem accentus retro est ponendus quum ἀπό dictum est pro ἄπωθεν vel ἐνάντιον, quam regulam veram esse optimi veteres grammatici docent. Eum. 845; 879; Suppl. 684; Ag. 999 (?).

---

[1]) Aristarchus enim accentum retro cedere tum demum probavit quum antecederet id verbum quod majorem haberet vim; Apollonius vero et Herodianus accentum retrahi volebant etiam si praecederet appellativum.

[2]) Hos locos et nonnullos alios aliarum praepositionum Piersonus omisit in Mus. Rhenan. XI, 116.

2. *De significatione.* a) *ἀπό* ab Aeschylo plurimis locis ita adhibetur ut significet discessum vel remotionem e loco aliquo, aut separationem duarum rerum quae uno aliquo modo conjunctae inter se erant, quum proprio sensu, tum (sed parraro; cf. infra.) metaphorice. Motus segregans illas res fieri potest et in altum et in locum subditum et per aequum. Res quae sejunguntur inter se sunt impares ita ut altera cogitetur continens in se alteram, potior quam altera, quum *παρά* c. gen. describat duas res ejusdem fere dignitatis et auctoritatis ut duas personas quae separantur [1]). Sed haud raro hae praepositiones quod facillime fieri potuit inter se commutantur; (cf. exempli causa Ag. 240 et Suppl. 199). Ag. 429 *ἀφ᾽ Ἑλλανίδος γᾶς συνορμένοις;* Pers. 270 *γᾶς ἀπ᾽ Ἀσίδος ἦλθεν;* 865 *ἀφ᾽ ἑστίας συθείς;* Suppl. 214 *φυγάδ᾽ ἀπ᾽ οὐρανοῦ θεόν;* 75 *φυγὴ ἀερίας ἀπὸ γᾶς;* 3 *στόλον ναΐον ἀρθέντ᾽ ἀπὸ προστομίων Νείλου;* 430 *ἀπὸ βρετέων ἄγεσθαι;* Prom. 400 *ἀπ᾽ ὄσσων ῥαδινῶν εἰβομένα ῥέος;* 748 *ἔρριψ᾽ ἐμαυτὴν τῆσδ᾽ ἀπὸ στύφλου πέτρας;* 721 *πόταμος ἐκφυσᾷ μένος κροτάφων ἀπ᾽ αὐτῶν;* 811 *Βυβλίνων ὀρῶν ἄπο ἵησι Νεῖλος ῥέος;* 838 *κόλπον Ῥέας ἀφ᾽ οὗ χειμάζει;* Ag. 192 *πνοαὶ δ᾽ ἀπὸ Στρυμόνος μολοῦσαι;* fr. 45, 3 *ὄμβρος δ᾽ ἀπ᾽ οὐρανοῦ πεσών;* Ag. 46 *στόλον τῆσδ᾽ ἀπὸ χώρας ἦραν.* Pauca mihi hoc de usu addenda sunt. Exemplum attractionis apud articulum (cf. Kruegeri gr. I. 50, 8, 14) exstat in Ag. 538 *κῆρυξ Ἀχαιῶν χαῖρε τῶν ἀπὸ στρατοῦ*, praegnanter contractum ex „*τῶν ἐν στρατῷ*“ et „*κῆρυξ ἀπὸ στρατοῦ*“ (i. e. *ἄγγελος στρατοῦ* quod legimus Suppl. 180); similiter dictum est Suppl. 271 *ἔχουσ᾽ ἂν ἤδη τἀπ᾽ ἐμοῦ τεκμήρια* i. a. *ἀπ᾽ ἐμοῦ τὰ ἐμὰ τεκμ.*; cf. So. Phil. 1088; 560; Oed. C. 453. (Recte hunc usum etiam Kuehner. explicat gr. gr. §. 623). Notabilior est locus in Ag. 493 *κήρυκ᾽ ἀπ᾽ ἀκτῆς τόνδ᾽ ὁρῶ* „venientem ex tractu

---

[1]) cf. B. Giseke »die allmäl. Entsteh. der Gesänge der Il. aus Unterschieden der Präpositionen nachgewiesen« p. 163.

quodam litoris“: (longe aliter se habent verba prorsus similia in Suppl. 713 τῆσδ' ἀπὸ σκοπῆς ὁρῶ τὸ πλοῖον). Exempla quibus ἀπό additum est notionibus tranquillitatis locum denotans unde quid exit non multa reperiuntur. Sunt haec: Suppl. 713. 63 ἀηδὼν ἅτ' ἀπὸ χλωρῶν πετάλων πενθεῖ νέον οἶκτον „luscinia quae sedens in virentibus fruticibus quiritatum novum emittit ex virgultis“; 101 μνῆμον ἄνω φρόνημά πως αὐτόθεν ἐξέπραξεν ἔμπας ἑδράνων ἀφ' ἁγνῶν; Cho. 198 εἴπερ γ' ἀπ' ἐχθροῦ κρατὸς ἦν τετμημένος, quibus locis ἀπό multo magis perspicuam et vividam imaginem efficit quam si praepositio ἐν esset posita. Idem valet si pro genetivo dependenti ex substantivo quodam ἀπό usurpatur quod cum verbo conjungendum est, ut in Eum. 264 ἀπὸ ζῶντος ῥοφεῖν ἐρυθρὸν ἐκ μελέων πέλανον i. e. ῥοφεῖν ἐρυθρὸν ἐκ μελέων πέλανον ζῶντος; Prom. 400. Ag. 240. ἔβαλλ' ἕκαστον θυτήρων ἀπ' ὄμματος βέλει φιλοίκτῳ; 560 ἐξ οὐρανοῦ δὲ κἀπὸ γῆς λειμωνίας δρόσοι κατεψάκαζον; Cho. 966 ὅταν ἀφ' ἑστίας μῦσος πᾶν ἐλάσῃ. Cum brevitate sed non sine gravitate quadam dicitur in Pers. 460 τοξικῆς ἀπὸ θώμιγγος („tela emissa a nervo arcus“) ἰοὶ προςπίτνοντες ὤλλυσαν [1]); Eum. 398 ἀπὸ Σκαμάνδρου („exiens a Scamandro“) γῆν καταφθατουμένη; Pers. 799 περᾷ τὸν Ἕλλης πορθμὸν Εὐρώπης ἄπο „relicta Europa“ [2]). Notio distantiae et remotionis urguetur duobus illis locis Suppl. 684 νόσων δ' ἑσμὸς ἀπ' [3]) ἀστῶν ἵζοι „sedeat pro-

[1]) Non tam audacter So. Oed. r. 204 τὰ σὰ χρυσοστρόφων ἀπ' ἀγκυλᾶν βέλεα θέλοιμ' ἂν ἐνδατεῖσθαι.

[2]) cf. So. Aj. 697 πετραίας ἀπὸ δειράδος φάνηθι. V. autem Prom. 734 λιποῦσα δ' Εὐρώπης πέδον et permultos illos locos quibus praepositio hunc gravem et praegnantem sensum involvens expletur participio quodam ut λιπών, ἀμείψας, aliis.

[3]) cf. Homerica Il. β, 162 ἐν Τροίῃ ἀπόλλοντο φίλης ἀπὸ πατρίδος αἴης; 208 μένων ἀπὸ ἧς ἀλόχοιο; So. Phil. 183 μοῦνος ἀπ' ἄλλων. — De Eum. 350 ἀθανάτων δ' ἀπέχειν χέρας, v. Herm. ad v. 346. Heimsoethium p. 303 et Prienium, qui recte judicavit, in Mus. Rhenano 6, 185.

cul a civibus" et Ag. 999 *ἀπ᾽ ἐμᾶς ἐλπίδος* [1]). Monstrosae explicationes, quas nonnulli editores in Sept. 273 [2]) et 783 excogitaverunt (cf. Wellauerum ad v. 255), jam conjectura (Dindorfii *ὕδατά τ᾽*) aut meliore interpretatione ad irritum sunt ductae; sed hic locus pessumdatus neque Hermanni conjectura, qua *ἀπό* ejicitur, sanatus esse videtur, quum verba *πλάζεσθαι ὀμμάτων* significare „oculis se privare" difficillimum sit comprobatu. Notio segregationis inest etiam locis Eum. 845, 879 *ἀπὸ γάρ με τιμᾶν δαναιᾶν θεῶν ἦραν δόλοι* „me eripuerunt ex honoribus vetustis", pro quo dici quoque potuit cum parva sententiae et cogitandi rationis mutatione *ἀπὸ γάρ μου δαναιὰς τιμὰς θ. ἦραν δόλοι* [3]); Suppl. 95 *ἰάπτει δ᾽ ἐλπίδων ἀφ᾽ ὑψιπύργων πανώλεις βροτούς;* Cho. 262 *ἀπὸ σμικροῦ δ᾽ ἂν ἄρειας μέγαν δόμον,* quae verba, quum *ἀπὸ σμικροῦ* minime sit „facile, opera levi", explices „domum quae parva est tu ad magnitudinem tollere potes" (ut a conditione parvitatis domus sit separata); quare ad *σμικροῦ* supplendum est *δόμου.* Quam proxime ab hoc usu ea significatio absit qua *ἀπό* copiam indicat ex qua quid sumitur vel superest (partitive [4]) dictum)

---

[1]) Locus difficillimus quia codices fluctuant et stropha incerta est. Florentinus dat *ἐξ ἐμᾶς ἐλπίδος.* Explicationem »ex mea spe, ut spero« admitti non posse ex iis quae antecedunt clare elucet. Mihi vero persuadere nequeo ut putem verba *ἐξ ἐμᾶς ἐλπίδος* significare posse »praeter spem meam«. Locus Euripideus Inone apud Stobaeum CV. 1 servatus, quem Hermannus laudat, plane alienus. Weilii sententia (ad v. 948) sine dubio rejicienda. *ἀπό* unice rectum. cf. Il. *λ,* 343, *κ,* 324 *ἀπὸ δόξης;* Soph. El. 1127 *ἀπ᾽ ἐλπίδων;* Trach. 66 *ἀπ᾽ ἐλπίδος καλῆς.* Num quis audebit, ut *ἐξ* defendat, in auxilium vocare So. Ant. 330 *ἐκτὸς ἐλπίδος;* Eur. Herc. f. 771 *δοκημάτων ἐκτός*?

[2]) Frustra Heimsoethius p. 184 lectionem traditam defendere studet.

[3]) cf. Piersonum in Mus. Rhenano 11, 111 qui jure monet ne quis putet tmesin inesse his verbis.

[4]) Hac occasione data addere volo quum apud omnes scriptores tum apud Aeschylum rarissime pro gen. partitivo adhiberi praeposi-

quivis unus intelligit. Pers. 1023 βαιά γ' ὡς ἀπὸ πολλῶν „pauca sane et exigua quae supersunt e magna rerum copia"; cf. Soph. Phil. 647; 1143 εἷς ἀπὸ πολλᾶν; compares autem Pers. 800 παῦροί γε πολλῶν.

b) Ad tempus tralata praepositio ἀπό potestatem nanciscitur „inde a, post" ita ut tempus describatur ex quo quid factum est vel esse coepit; quo sensu non minus saepe invenitur ἐκ. Suppl. 343 ἀπ' ἀρχῆς; Pers. 177 ἀφ' οὗπερ „ex quo" (cf. So. Oed. r. 758; Ant. 562). Imprimis notanda est conjunctio praepositionis cum numeris ordinalibus, ut Prom. 853 πέμπτη δ' ἀπ' αὐτοῦ γέννα; Pers. 768 τρίτος δ' ἀπ' αὐτοῦ Κῦρος. Causa vero cur Porsonus et alii [1]) in Eum. 3 legendum esse censuerint ἀπὸ μητρὸς δευτέρα nulla intelligitur. — In Eum. 631 et Ag. 603 ἀπὸ στρατείας nullo pacto esse potest „post expeditionem, revertentem ab expeditione, bello finito" quod permulti (ut Bernhardy. p. 222; Hermannus ad Ag. 580) summa injuria voluere; sed hae voces conjungendae sunt cum verbo ita ut ἀπὸ στρατείας σώζειν sit „reditum concedere et praestare e bello" (cf. Homericum σώζειν ἐκ πολέμοιο et Cho. 507 ἐκ βυθοῦ σώζειν), atque ἀπὸ στρατείας ἐμπολᾶν τὰ πλεῖστ' ἀμείνονα „ex bello carpere summae gloriae fructum."

c) Ita jam ad tractandos eos locos pervenimus, quibus ἀπό significat causam qua quid efficitur: „causa, ex, a, in Folge" ut non multum differat ab ὑπό c. gen.; quae constructio aliquanto gravior et dilucidior est quam si solus dativus instrumentalis [2]) esset positus. Ag. 1302 ἀλλ' ἴσθι τλήμων οὖσ' ἀπ' εὐτόλμου φρενός; 1643 τί δὴ τὸν ἄνδρα τόνδ' ἀπὸ ψυχῆς κακῆς οὐκ αὐτὸς ἠνάριζες; fr. 324 ἀφ' οὗ δὴ Ῥήγιον κικλήσκεται; Prom. 254 ἀφ' οὗ „ex cujus

tionem, quod tum demum fit quum magna vis posita est in praepositione.

[1]) ut nuper etiam Todtius in Philol. 15, 205; cf. vero Zeitschr. f. Alterthumsw. 13, 357.

[2]) qui hunc sensum habens longe frequentior est.

usu" γε πολλὰς ἐκμαθήσονται τέχνας. Facile igitur quis adduci potest ut putet in Prom. 170 δεῖξαι τὸ νέον βούλευμ' ὑφ' ὅτου σκῆπτρον τιμάς τ' ἀποσυλᾶται ubi Mediceus a prima manu praebet ἀφ' ὅτου, retinendum esse ἀφ', quandoquidem hujus significatio eadem fere sit quae ὑφ' praepositionis. Sed primum ὑπό caussam efficientem gravius designat, deinde Aeschylus quidem nullo loco addidit verbo cum ἀπό composito praepositionem ἀπό; quare secunda manus, quae in universum haud raro lectiones integras nobis tradidit et restituit secuta archetypum, hoc quoque loco in Mediceo non conjecturam immisit verbis, sed lectionem primariam et genuinam refecit [1]. — Quin etiam convenientiam exprimit ἀπό in Ag. 157 μόρσιμ' ἀπ' ὀρνίθων ὁδίων „sicut aves fatidicae indicaverant, sicut intelligi poterat e volatu avium" [2].

d) Multo autem numerosiores ei loci sunt quibus ἀπό dicitur de origine ex qua quid provenit, de parentibus vel de patria ex quibus quid ortum est, quo sensu etiam saepius Aeschylus usurpavit ἐκ. Permultis locis ἀπό solius gravitatis gratia est positum quum genetivus satis fuisset qui et ipse satis saepe legitur [3]. Quod manifeste apparet ex Sept. 1031, 32 δεινὸν τὸ κοινὸν σπλάγχνον, οὗ πεφύκαμεν, μητρὸς ταλαίνης κἀπὸ δυστήνου πατρός; μητρὸς ἀγρίας ἄπο ποτὸν, παλαιᾶς ἀμπέλου γάνος τόδε Pers. 614. Cf. etiam 412 σπαρτῶν δ' ἀπ' ἀνδρῶν ῥίζωμ' ἀνεῖται; Pers. 611 βοὸς

---

1) Falso explicat Hermannus verba in Ag. 1599 (1567) ἀπὸ σφαγῆς ἐμῶν: »a mactatis carnibus, fastidio scilicet affectus, vomitans«, quae interpretatio artificiosa et implicata est. Recte legitur ἀπὸ σφαγὴν ἐμῶν (ἐρῶν? cf. Karsten ad h. l.) i. e. ἀπεμῶν σφαγήν. Facile perspicitur quomodo factum sit ut propter antecedentem praepositionem σφαγήν mutaretur in σφαγῆς. Tmeseos exempla affert Blomf. gloss. Ag. v. 569.

2) cf. So. Oed. r. 395; 310 ἀπ' οἰωνῶν φάτιν; Pind. Ol. XIII, 76 κοιτάξατο νύκτ' ἀπὸ κείνου χρήσιος »ex illius jussu«.

3) A Latinis eodem modo circumscribi genetivum nemo non novit.

τ᾽ ἀφ᾽ ἁγνῆς λευκὸν γάλα, quocum conferas verba versus 615 παλαιᾶς ἀμπέλου γάνος; Suppl. 237 οὐ γὰρ Ἀργολὶς ἐσθὴς γυναικῶν οὐδ᾽ ἀφ᾽ Ἑλλάδος τόπων quo loco adjectivo Ἀργολίς potius respondisset solus genetivus τόπων. fr. 306, 6; Eum. 314; Cho. 736. Insignis est hac in re Aeschyli brevitas ut in Eum. 183 ubi μέλαν᾽ ἀπ᾽ ἀνθρώπων ἀφρόν significat „sanguinem quem ex hominibus hausistis"; (cf. v. 264). Similes sunt loci in Ag. 1132 ἀπὸ δὲ θεσφάτων τίς ἀγαθὰ φάτις βροτοῖς τέλλεται; „quaenam bona sors ab oraculis edita obvenit mortalibus?" Suppl. 536 γένος εὔχομεθ᾽ εἶναι γᾶς ἀπὸ τᾶσδ᾽ ἔνοικοι, cujus sensum bene Hermannus (ad v. 520) illustravit; 363 ἱεροδόκα θεῶν λήματ᾽ ἀπ᾽ ἀνδρὸς ἁγνοῦ, ubi ἀπ᾽ ἀνδρὸς ἁγνοῦ libero modo pendet ex ἱεροδόκα „ἱερὰ δέχονται ἀπ᾽ ἀνδρὸς ἁγνοῦ ὄντα" (cf. Sept. 700). Cho. 472 οὐδ᾽ ἀπ᾽ ἄλλων ἔκτοθεν ἀλλ᾽ ἀπ᾽ αὐτῶν sc. ἄκος ἐστι, πράσσεται, quo loco quum verbum ortum notans unde praepositio pendeat non legatur ipsa magna praepositionis vi indicatur actionem ab aliquo effici. Huc mihi pertinere videtur etiam locus in Ag. 1630 ἦγε πάντ᾽ ἀπὸ φθογγῆς χαρᾷ, quod est „gaudio e voce coorto"; namque nimis durum est ἀπὸ φθογγῆς conjungere cum verbo ἦγε et separare a voce χαρᾷ [1]); cf. Ellendtium quoque in lex. p. 195. — Non possum non mirari quod tam diu locus qui legitur in Sept. 703 incorruptus est habitus quum prorsus qualis nunc est sensu careat. Nam χάρις δ᾽ ἀφ᾽ ἡμῶν ὀλομένων θαυμάζεται nulla ratione esse potest „gaudium quod dii percipiunt de interitu domus nostrae admirationi est." Aliae quoque explicationes nimia arte quaesitae defendi non possunt. Scribendum minima mutatione χάρις δ᾽ ἀπήμων ὀλομένων θαυμάζεται i. e. „beatitas mortuorum doloribus vacua praeclara et invidia digna mihi videtur" (cf. v. 697).

---

1) Eandem explicandi rationem jam Schneidewinus secutus esse videtur (ad v. 1598).

e) Sicuti ἀπό apud Graecos in universum raro sumitur ut materia ex qua quid efficitur signetur, sic etiam apud Aeschylum uno tantum loco hoc est sensu Ag. 970 ὅταν δὲ τεύχῃ Ζεὺς ἀπ᾽ ὄμφακος πικρᾶς οἶνον.

f) Postremo ἀπό instrumentum indicat cujus ope aliquid paratur, in qua tamen significatione facile ubique cognoscitur vis illa primaria loci unde quid exit vel movetur. Ag. 1010 βαλὼν σφενδόνας ἀπ᾽ εὐμέτρου [1]); Ag. 282 φρυκτὸς δὲ φρυκτὸν δεῦρ᾽ ἀπ᾽ ἀγγάρου πυρὸς ἔπεμπεν „auxilio ignis migrantis" [2]). Ita saepissime apud tragicos ἀπ᾽ ὀμμάτων; Ag. 987 „meis oculis"; (cf. So. Oed. C. 15; Eur. Med. 216). Suppl. 207 ἴδοιτο ἀπ᾽ ὄμματος; Ag. 239 ἔβαλλ᾽ ἕκαστον ἀπ᾽ ὄμματος βέλει (cf. s. *d*); Eum 287 καλᾶ ἀφ᾽ ἁγνοῦ στόματος; fr. 40 εὐοδίαν μὲν πρῶτον ἀπὸ στόματος χέομεν; Eum. 674 ἀπὸ γνώμης φέρειν ψῆφον δικαίαν (Herm. ad v. 666) [3]); Ag. 813 ἀπὸ γλώσσης [4]) „leviter, obiter"; Ag. 805 ἀπ᾽ ἄκρας φρενός „ex superficie animi" i. e. „leviter, cum parvo meo gaudio" oppositum est locutionibus ἐκ θυμοῦ, ἀπὸ κραδίας „ex intimo pectore" [5]).

3. *Vocabula cum* ἀπό *composita* permulta apud Aeschylum leguntur (plus centum). Longe major eorum pars aperte comprobat localem praepositionis ἀπό notionem, etiamsi haud raro praepositio nullam paene vim secum ha-

---

1) cf. Il. 24, 605 πέφνεν ἀπ᾽ ἀργυρέοιο βιοῖο; Pind. Nem. 6, 31 ἀπὸ τόξου ἱείς.

2) Ibi cum Schuetzio, Thierschio (»Abhandl. d. bayr. Akad. V. 2. p. 30) et Schneidewino tmesin statuere omnium falsissimum est.

3) Has formulas per emphasin dictas esse sic ut ἀφ᾽ ἁγνοῦ στόματος καλεῖν sit »magna voce, libere et palam vocare«; ἀπ᾽ ὀμμάτων πεύθεσθαι respondere Homericae dictioni ἐν ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν (cf. Schneidew. ad Oed. r. 1221) etc. liquet. De ejusmodi circumscriptionibus videas Bernhardy. p. 223 sqq.

4) cf. Philol. 9, 154; Herm. ad v. 780; Abreschium ad h. l. Hesiodi ἔργα κ. ἡ. ἀπὸ γλώσσης ληΐσσεται i. e. »fraude et astutia«.

5) quae postremae locutiones adverbialem vim sunt nactae.

bet et simplex non minus apte sedem invenire potuit ac re vera invenit. Erant enim jam illa aetate non pauca composita in quibus potestas praepositionis usu frequenti aut prorsus interiverat aut comminuta erat. Huc pertinent *ἀποκτείνειν*, *ἀπολλύναι*, *ἀποστερεῖν*, *ἀποφθείρειν*, *ἀπάγχειν*, *ἀποφθίνειν*, *ἀφικνεῖσθαι*, *ἀπαγγέλλειν*, *ἀποιμώζειν*, *ἀποκρύπτειν*, multa alia [1]). De voce *ἄπαρχος* eodem spectanti liceat mihi ipsis Ahrensii (Philol. Suppl. I. p. 629) cui astipulor verbis uti: „Nach Canters Aenderung ist allgemein (Ag. 1227) ausser von Klausen *ἔπαρχος* geschrieben. Aber jenes ist auch Pers. 322 (327) *Κιλίκων ἄπαρχος*, wo seit Brunck (ausgenommen von Wellauer) nur aus wenigen schlechtern Handschriften *ἔπαρχος* gesetzt und von Herm. *ὕπαρχος* vermuthet ist. Auch das Verbum *ἀπάρχειν* ohne wesentliche Verschiedenheit vom Simplex findet sich Pind. N. 4, 47 *ἔνθα Τεῦκρος ἀπάρχει* (Scholl. *ἡγεμονεύει*); denn Dissens Erklärung „procul regnat" und Bergk's Vorschlag *ἄπ' ἄρχει* zu schreiben sind nicht weniger unnatürlich als ältere Erklärungsversuche, welche sich auf den Gebrauch von *ἀπάρχεσθαι* stützten. Auch Dionys. v. Hal. hat noch *ἀπάρχειν τῶν ὀρχηστῶν* im Sinne von *ἡγεῖσθαι*. Hiernach ist es ungerechtfertigt, jenes äschyleische *ἄπαρχος* = *ἀρχός* beseitigen zu wollen. Die Präposition scheint hier, wie so oft in der Zusammensetzung, nur eine verstärkende Kraft zu haben." Quibus ita disputatis idem homo doctus etiam in Cho. 664 emendari jubet *γυνὴ γ' ἄπαρχος*. (Aliter judicavit Meineke in Philol. 19. p. 208.). — Ex compositis praeterea addo haec: *ἀπαιτεῖν δίκαν* Cho. 398 non solum est „jus poscere, quaerere", sed „jus meum persequens ultionem repeto." Rara sunt adjectiva composita cum *ἀπό* in quibus praepositio sensum habet carendi ut sit „sine", i. e. idem quod *ἀ στερητικόν*. Prom. 20 *ἀπάνθρωπος*; Ag.

---

1) cf. etiam in Philol. Suppl. I. 605 perbonam conjecturam *ἀπέπαυσεν* ad Ag. 1024 excogitatam.

1410 ἀπόπολις recte a Seidlero restitutum (cf. Blomf. gloss. Ag. 1383); 801 ἀπομούσως, pro quo Karsten. scripsit ἀπονοῦς ex eadem analogia conformatum; Cho. 275 ἀποχρήματος; etiam ἀπόξενος Ag. 1282; Cho. 1042, quae vox apud unum Aeschylum significationem habet „exul, depulsus ex", huc referri potest. (Hart. Ag. 1331 [1410] ἀπόδαμος scripsit pro ἀπέταμες; O. Müllerus Eum. 332 [353] ἀπόμοιρος conjecit pro ἄμοιρος comparans ἀπόκλαρος Pind. P. 5, 54). Cf. etiam rarum ἀποστέργειν „odisse" Ag. 499. — Apud solum Aeschylum inveniuntur: ἀπατιμάζειν Eum. 95; ἀπογυμνάζειν Sept. 441; ἀποκλάζειν Ag. 156; ἀποκωκύειν 1544; (poeta in universum verbis clamandi et querendi ut vim vocabuli corroboraret libenter addit ἀπό vel ἐκ); ἀποκορσοῦν fr. 262; ἀπορφανίζεσθαι Cho. 249 (in ejusmodi vocibus praepositio notionem mutandi effert; cf. ἀποδηλοῦν; ἀφιεροῦν Eum. 451; ἀποψιλοῦν Cho. 695). — ἀπαγώνιος quod olim in Ag. 512 legebatur jam ab Ahrensio et Dobreio mutatum est in καὶ παιώνιος (Flor. habet καὶ παγώνιος). De ἀπηύρω et ἐπηύρω Prom. 28 cf. Buttmanni lexil. p. 84; Elmsl. ad h. l.; rectissime nunc legitur ex auctoritate Medicei ἐπηίρω, quum prius a cunctis fere acceptum fuerit ἀπηύρω.

Verbo dicamus de ἀποπρό, quod Burgesius, Abreschius, Bothius scripserunt in Suppl. 3. Quibus non astipulandum; neque enim alibi apud Aeschylum exstat usitatum Euripidi ἀποπρό, neque accommodatum videtur verbo ἀρθέντα; ad φεύγειν, διώκειν, similia melius quadraret.

EK.

Jam transeamus ad illustrandam significationem praepositionis ἐκ, quae aptissime de ea causa praepositioni ἀπό subjungitur, quoniam ita maxime perspicue elucebit qualis ratio intercedat his duabus vocibus quae nunc sibi propinquissimae, nunc longe alienae sunt.

ἐκ est inter eas praepositiones quae frequentissime usu veniunt, partim quia ejus notio localis et concreta creberrimam usurpationem permittebat, partim quia facillime ex vi nativa multiplices et diversissimae significationes ducebantur.

Primaria vis praepositionis quae sensibus percipitur ea est ut indicet locum vel rem ex qua aliquid moveatur vel exeat. Ita certum est discrimen inter ἀπό quae praepositio non tam definite et diserte eam partem describit unde motus fit, sed magis in universum regionem tantum denotat a qua quid accedit; et inter ἐκ quae vox interiorem quem rei locum indicat ex quo motio provehitur vel effectus editur. Facile autem intelligitur qui fieri potuerit ut hae praepositiones saepe partes commutaverint cum in concreta significatione tum saepius in tralatis rationibus in quibus plerumque ne constitui quidem potest num effectus vel eventus procedat ab aut ex aliqua conditione vel persona vel vi movente.

1) Adverbium est in tmesi. Prom. 133 ἐκ δ᾽ ἔπληξέ μου τὰν θεμερῶπιν αἰδῶ. Ibi dubitari non licet quin ἐκ conjungendum sit cum ἔπληξε, non cum μοῦ, quia Aeschylus non dicit πλήσσειν τι ἔκ τινος, sed ἐκπλήσσειν τί τινος (Prom. 360); cf. Blomfield. ad v. 136; Pierson. in Mus. rhenano XI. p. 106. ἐξέπληξε proxime praecedens διῇξεν apte sequitur. „Acui praepositionem sive adverbiascentem sive nomini postpositam quanquam olim decrevit Hermannus de Em. R. Gr. Gr. p. 101, ratio non est.“ Ellendt. lex. I. p. 547.

2) Ubi praepositio est, ἐκ secundum tritam et creberrimam significationem conjunctum cum verbis movendi illum locum vel spatium indicat unde motus initium capit vel ex cujus parte aliqua interiore res excedit et prodit. Res quae proficiscitur antequam separatio accidit a tribus partibus circumclusa esse potuit aut ab una, quum scilicet sita esset in planitie. Prom. 1060 τόπων μετά ποι χω-

ῥεῖτ' ἐκ τῶνδε (cf. Oed. Col. 1641); 956 ἐκ τῶνδε, sc. περγάμων, ἐκπεσόντας; Sept. 459 ἐξ ὑπτίου 'πήδησεν κράνους; 942 ἐκ πυρὸς συθεὶς σίδαρος dictum de gladio qui ex igne in quo ustus et percandefactus est exit (cf. Ant. 475). Pers. 305 ἐκ νεὼς ἀφήλατο; 313 ναὸς ἐκ μιᾶς πέσον (ab Hermanno prorsus mutatum; versus corruptus est); 608 κέλευθον τήνδ' ἐκ δόμων ἔστειλα; 642 ἰόντ' ἐκ δόμων; Ag. 9 αὐγὴν φέρουσαν ἐκ Τροίας φάτιν; 316 ἀνδρὸς παραγγείλαντος ἐκ Τροίας ἐμοί; 440 ἐξ Ἰλίου πέμπει; 626 ἀναχθεὶς ἐξ Ἰλίου; 1412 ἐκ πόλεως φυγήν; 1419 ἐκ γῆς τῆσδε ἀνδρηλατεῖν; 1572 ἰόντ' ἐκ τῶνδε δόμων; 1586 ἠνδρηλάτησεν ἐκ πόλεώς τε καὶ δόμων; Cho. 22 ἰαλτὸς ἐκ δόμων ἔβαν; 76 ἐκ γὰρ οἴκων ἐσᾶγον αἶσαν; 135 ἐκ χρημάτων φεύγων „ex domo divite pulsus"; 487 οἴσω πατρῴων ἐκ δόμων; Eum. 35 πάλιν μ' ἔπεμψεν ἐκ δόμων τῶν Λοξίου; 112 ἐκ μέσων ἀρκυστάτων ὤρουσεν (cf. sub ὑπέρ); 147 ἐξ ἀρκύων πέπτωκεν; 210 ἐκ δόμων ἐλαύνομεν (etiam 421); 598 ἐκ τάφου πέμπει; 905; Suppl. 309 ἐκ γῆς ἤλασεν; 423 ἐξ ἑδρᾶν πολυθέων ῥυσιασθεῖσαν; 262 ἐλθὼν ἐκ πέρας (?) Ναυπακτίας; fr. 6, 4 ἵκουσ' ἐκ σκότου „e loco tenebroso"; Prom. 1046 χθόνα δ' ἐκ πυθμένων κραδαίνοι (cf. So. Oed. r. 1261); Pers. 524 λαβοῦσα πέλανον ἐξ οἴκων ἐμῶν (cf. etiam v. 849; Trach. 1066) idem fere quod „e copia quae in domo mea est"; fr. 176, 1; 210, 4 ἐλέσθαι οὔτιν' ἐκ γαίας λίθον. Ag. 1245 ἐκ δρόμου πεσὼν τρέχω „e curriculo decidi, a recta via declinavi; nunc erro per falsas vias ut quid sit justum et rectum detegere nequeam" (cf. Prom. 883 ἔξω δὲ δρόμου φέρομαι; aliter aliquanto Cho. 514 πυθέσθαι δ' οὐδέν ἐστ' ἔξω δρόμου dictum de eo quod ad rem non pertinet). Non probandum est judicium quod Bernhardy. fecit de Sept. 476 ἐκ πυλῶν χωρήσεται, dicens (p. 225) ἐκ raro secundum antiquam notionem adverbialem significare „extra", quae vis in compositis magis usu veniret, quum in sermone quotidiano transiisset ad adverbia ἐκτός et ἔξω. Sed illud ἐκ πυλῶν χωρ. quum minime sit

„versabitur ante portas", sed „ibit e portis, in quibus ante egressum stabat", eodem jure dictum est quo Ag. 407 *διὰ πυλᾶν βαίνειν* [1]). — Cum nomine quoque hominum pro nomine terrae posito conjungitur *ἐκ* nec non refertur ad coetum vel ordinem hominum e quo quis discedit. Ita Prom. 572 *ἐξ ἐνέρων περᾶν* i. e. *ἐξ Ἅιδου* (cf. Kruegerum I. 68, 17, 2); Pers. 355 *ἀνὴρ ἐξ Ἀθηναίων στρατοῦ ἐλθών;* Ag. 624 *ἀνὴρ ἄφαντος ἐξ Ἀχαιϊκοῦ στρατοῦ* (cf. infra; Oed. r. 831 *ἐκ βροτῶν βαίην ἄφαντος*); Sept. 40. Deinde de oculis e quibus lacrimae vel obtutus proveniunt; Cho. 185 *ἐξ ὀμμάτων πίπτουσι σταγόνες;* 1058; Eum. 54; Prom. 356 *ἐξ ὀμμάτων δ' ἤστραπτε γοργωπὸν σέλας;* (cf. vero Suppl. 199 et sub *ἀπό*); — de manibus e quibus quid sumitur Eum. 779, 809 *παλαιοὺς νόμους ἐκ χερῶν εἵλεσθέ μου;* — de ore et pectore e quibus sonus emittitur; Sept. 864 *ἐκ βαθυκόλπων στηθέων, ἥσειν ἄλγος* „querelas luctuosas"; Suppl. 656 *ἐκ στομάτων ποτάσθω εὐχά;* 696; Ag. 328 *ἐξ ἐλευθέρου δέρης ἀποιμώζουσι φιλτάτων μόρον;* (v. ea quae postea dicentur de dativo instrumentali); — de vultu e quo maeror vel gaudium vel alii affectus elucent Suppl. 198 *τὸ μὴ μάταιον δ' ἐκ σεσωφρονισμένων ἴτω προσώπων* „eniteat e facie"; Eum. 990 *ἐκ τῶν φοβερῶν τῶνδε προσώπων μέγα κέρδος ὁρῶ* audacius quidem quia verbum praepositionem regens deest, sed gravissime dictum. — Neque longe abest is usus quo *ἐκ* describit rei statum et condicionem e qua quid secedit vel proficiscitur , quae tralatio facillima est; cf. modo Prom. 909 *ὃς αὐτὸν ἐκ τυραννίδος θρόνων τ' ἄϊστον ἐκβαλεῖ* ubi abstractum et concretum connexa sunt; Pers. 861 *νόστοι δ' ἐκ πολέμων ἀπόνους ἄγον οἴκους;* Ag. 1625 *ἥκειν ἐκ μάχης* Cho. 535 *ἐξ ὕπνου ἐπτοημένη* „e somno exterrita." Huc etiam pertinent locutiones quales *ἐκ δεσμῶν λύειν, χαλᾶν* Prom. 176, 509, 770; 872

---

[1]) Alia potius exempla afferre debuit, ut Suppl. 949 *κομίζου ἐξ ὀμμάτων,* in quo revera *ἐξ* locum explet adverbii *ἔξω* vel *ἐκτός*.

πόνων ἐκ τῶνδ' ἐμὲ λύσει; Eum. 443 *ἐκ τῶν ὑστάτων τῶν σῶν ἐπῶν μέλημ' ἀφαιρήσω μέγα;* Suppl. 949 *κομίζου ἐξ ὀμμάτων* „abscede procul e conspectu meo", in quibus omnibus *ἐκ* pingit disjunctionem et separationem.

Quae omnia satis sunt nota. Jam pauca alia addamus minus trita et majoris momenti. Exempla attractionum quibus praepositio apud Aeschylum afficitur haec sunt: Cho. 507 *τὸν ἐκ βυθοῦ κλωστῆρα σώζοντες λίνου* i. e. *τὸν ἐν βυθῷ κλ. ἐκ βυθοῦ σώζοντες;* Eum. 265 *ῥοφεῖν ἐρυθρὸν ἐκ μελέων πέλανον* i. e. *ῥοφεῖν ἐκ μελέων ἐρυθρὸν ἐν μέλεσι πέλανον;* Sept. 40 *ἥκω σαφῆ τἀκεῖθεν ἐκ στρατοῦ φέρων;* fr. 210, 4; cf. Schneidew. ad So. El. 137. Notanda est brevitas in Pers. 459 *πολλὰ μὲν γὰρ ἐκ χερᾶν πέτροισιν ἠράσσοντο* „percutiebantur lapidibus e manu missis", quod compares cum verbis sequentibus *ἰοὶ τοξικῆς ἀπὸ θώμιγγος προςπίτνοντες;* jam hoc praegnanter dictum: quanto magis illud! De Ag. 560 cf. p. 26; praepositionis gravitas notabilis Ag. 1178 *καὶ μὴν ὁ χρησμὸς οὐκέτ' ἐκ καλυμμάτων ἔσται δεδορκώς* „oraculum meum non jam quasi conditum sub velaminibus ex iis prospiciet, „hinter — hervor." (cf. Schneidew. ad v. 1137; Bothium ad v. 1064); Suppl. 720 *πρέπουσι δ' ἄνδρες νάϊοι μελαγχίμοις γυίοισι λευκῶν ἐκ πεπλωμάτων ἰδεῖν* „nigra Aegyptorum membra emicant ex albis vestibus, ea scilicet, quae veste nudata sunt"; *ἐκ* igitur est „aus — hervor." Ag. 690 *ἐκ τῶν ἁβροπήνων προκαλυμμάτων ἔπλευσε* (v. ea, quae p. 26 protulimus de Pers. 799).

Ex more poetarum est si pro verbo motum indicanti sumitur verbum idem fere significans, cui tamen movendi notio proprie non inest; nos in ejusmodi exemplis praepositionem *ἐκ* plerumque vertimus per „auf" imaginem poetae delentes. Id quoque poetarum est genetivum cum substantivo quodam conjungendum, ut rem vel actionem quasi oculis legentium vel audientium subjiciant, explere per *ἐκ* c. gen. quod connecti volunt nunc cum substantivo nunc

cum verbo. Ad priora spectant Ag. 624 ἄφαντος ἐξ Ἀχαιϊκοῦ στρατοῦ; Pers. 962 Τυρίας ἐκ ναὸς ἔρροντας; Ag. 1311 ὅμοιος ἀτμὸς ὥσπερ ἐκ τάφου πρέπει; fr. 58, 8; Pers. 707 πολλὰ μὲν γὰρ ἐκ θαλάσσης, πολλὰ δ' ἐκ χέρσου κακὰ γίγνεται θνητοῖς i. e. ἔρχεται „stürmt ein auf"; Suppl. 443 καὶ χρημάτων μὲν ἐκ δόμων πορθουμένων, quem versum Hermannus injuria prorsus mutavit; ἐκ δόμων πορθεῖν nervose dictum, ut etiam Athen. p. 523 A. scripsit πορθεῖν ἐκ τῶν ἱερῶν τὰ θεῶν ἀγάλματα; Hermannus sensum non mutans pulchritudines loci diruit; versus qui sequuntur corrupti. Imprimis notabilia sunt verba in Sept. 228 per variationem perpulchram [1]): πολλάκι δ' ἐν κακοῖσι τὸν ἀμάχανον κἀκ χαλεπᾶς δύας - ὀρθοῖ (σαοῖ, ἀρεῖ?) „in rebus adversis desperantem et ex gravi lugore erigit i. e. summovet e"; ubi falsa est lectio et interpretatio Schuetzii atque aliorum. Nonne multo magis graphicum est si in Prom. 59 legitur δεινὸς γὰρ εὑρεῖν κἀξ ἀμηχάνων πόρους, quam si poeta scripsisset ἐν ἀμηχάνοις? nonne in Pers. 56 τὸ μαχαιροφόρον τ' ἔθνος ἐκ πάσης Ἀσίας ἕπεται, ἐκ quod perbene omitti potuit (cf. v. 59 τοιόνδ' ἄνθος Περσίδος αἴας οἴχεται ἀνδρῶν) magnitudinem exercitus augere videtur? — Notissimae sunt locutiones quaedam in quibus ἐκ positum esse videtur pro ἐν, quae tamen ita explicandae sunt ut dicamus eum qui loquatur respexisse locum alterius cujusdam. Ita etiam in descriptionibus Ag. 116 χερὸς ἐκ δοριπάλτου quod nihil est nisi amplificatio poetica locutionis usitatissimae ἐκ χερὸς δεξίας; Pers. 76, 707 ἐκ θαλάσσης; Ag. 1554 οἱ ἐξ οἴκου i. e. οἱ οἰκέται; Prom. 896 οἱ ἐξ οὐρανοῦ i. e. οἱ οὐράνιοι (cf. Krueg. gr. gr. I. 50, 8, 17). Alia dicta minus simplicia libertati poetarum sunt tribuenda. Cho. 72 πόροι πάντες ἐκ μιᾶς ὁδοῦ διαίνοντες (?), cui simillimus est locus in Pers. 462 ἐφορμηθέντες ἐξ ἑνὸς ῥόθου; (cf.

---

1) E quo loco etiam hoc cernitur poetam sibi hac in re non constitisse.

Hemsterhus. ad Arist. Plut. p. 430) [1]; Cho 33 *φοῖτος ὀρθόθριξ ἐξ ὕπνου κότον πνέων* (Schol. *ἀντὶ τοῦ δι᾽ ὑπνου*); Eum. 155 *ὄνειδος ἐξ ὀνειράτων μολόν*, quae postrema formata esse videntur ex analogia locutionis frequentissimae *ἐκ νυκτῶν* „noctu, in nocte", quam et ipsam invenies in Cho. 288 *μάταιος ἐκ νυκτῶν φόβος* [2]. Additum verbis annectendi et dependendi etiam apud poetam nostrum *ἐκ* legitur ut is locus indicetur ex quo quid pendet. f. 265 *κρεμαστὰ τόξα πίτνος ἐκ μελανδρύου*; Suppl. 465 *ἐκ τῶνδ᾽ ὅπως τάχιστ᾽ ἀπάγχασθαι θεῶν*; (cf. Thuc. 3, 81 *ἐκ τῶν δένδρων ἀπάγχεσθαι*).

b) Deinde *ἐκ* multis locis originem et genus hominis vel rei vel actionis significat, ac quidem α) ortum ex ipso patre vel matre vel majorum stirpe ductum, qua notione etiam *ἀπό* saepissime utitur. Multis exemplis, ut hoc jam hic ponamus, superfluum esse *ἐκ* et ob solam gravitatem adjectum negari nequit, imprimis si cum substantivo conjuncta est praepositio ubi genetivus satis superque suffecisset. Atque ita apud Aeschylum quoque plerisque locis praepositio deest, quae quum additur non solum vim auget, sed saepe cum brevitate quadam locum totius enunciati explet. Sept. 532 *τόδ᾽ αὐδᾷ μητρὸς ἐξ ὀρεσκόου βλά-*

---

[1]) Huc voco etiam locum in Suppl. 165 plane similem, cujus explicationes variae sunt. Plerique *χαλεποῦ ἐκ πνεύματος* referunt ad Junonem »a deae gravi ira excitata irrumpit procella«, alii aliter interpretationem instituerunt. Nonne multo simplicius est vertere »irrumpit procella cum violento flatu; im grausen Sturme bricht des Leides Orkan (auf die Io) herein?«

[2]) Etiamsi numerus ejusmodi dictionum in sermone Graeco permagnus est et nonnullae formulae ubique caedem occurrunt, tamen constat, longe saepius etiam a poetis usurpatas esse praepositiones *ἐν*, *διά* etc. Origo multarum harum dictionum obscura est, ut *ἐκ νυκτῶν*, quae ab *ἐν νυκτί* minime diversa est. cf. Blomf. gloss. Cho. 282; H. Sauppe ad Demosth. Phil. 1, 2 ed. Goth.; Jacobs in anthol. Palat. III. p. 332. Quare inutile est et rejiciendum, si artificiosae explicationes excogitantur.

στημα (cf. vero Suppl. 317); 141 *σέθεν γὰρ ἐξ αἵματος γεγόναμεν;* Suppl. 589 *τόδ' ἂν γένος λέγων ἐξ Ἐπάφου*, sc. *ὄν, κυρήσαις;* Prom. 871 *σπορᾶς γε μὴν ἐκ τῆσδε φύσεται θρασὺς τόξοισι κλεινός;* Ag. 1525 *ἐμὸν ἐκ τοῦδ' ἔρνος ἀερθέν* „meam progeniem ex eo susceptam". Ad res tralatum *ἐκ* indicat materiam quae tamquam parens cogitatur stirpis. Ag. 1408 *ποτὸν ῥυτᾶς ἐξ ἁλὸς ὄρμενον* „potus qui ortus est e mari fluenti (ex aqua in universum)"; Cho. 284 *προςβολὰς Ἐρινύων ἐκ τῶν πατρῴων αἱμάτων τελουμένας*, ubi sanguis haustus patris gignens cogitatur impetus Furiarum. — b) de patria dicitur, cujus civis quis est. Cho. 674 *ξένος μέν εἰμι Δαυλιεὺς ἐκ Φωκέων* (incolae pro nomine terrae). — c) Rarius materiam indicat ex qua quis effecit aliquid. Prom. 242 *ἐκ πέτρας εἰργασμένος;* Suppl. 953 *πίνοντας ἐκ κριθῶν μέθυ* „vinum paratum ex hordeo i. e. cerevisiae genus quoddam". — d) Saepius *ἐκ* significat etiam originem quae ex animo provehitur, affectus mentis qui ubi apparuerunt rem aliquam moderantur. Ag. 1491, 1515 *φρενὸς ἐκ φιλίας τί ποτ' εἴπω* i. e. „quum animus meus tibi sit amicissimus"; quorum verborum sententia non multum differt a loco illo Cho. 107 *λέξω τὸν ἐκ φρενὸς λόγον* „verbum sincerum et apertum, ex animo profectum"; (animum intendas ad attractionem, quae *his* verbis inest); 546 *ὡς πόλλ' ἀμαυρᾶς ἐκ φρενὸς μ' ἀναστένειν;* Sept. 873 *ἐκ φρενὸς ὀρθῶς λιγαίνειν;* 919 *δακρυχέων ἐκ φρενός;* Ag. 48 *ἐκ θυμοῦ κλάζοντες*. Quum in his exemplis significatio localis praevaleat, ita ut animus dictus esse videatur pro loco in quo sedere cogitatur (cf. Sept. 864 *ἐκ βαθυκόλπων στηθέων ἥσειν ἄλγος*) [1]), in multis aliis praepositio magis tralatam potestatem habet, de quibus infra videbimus. — e) Designat *ἐκ* auctorem

---

1) Cf. nostrum »aus Herzensgrund«, quod mire respondet locutioni *ἐκ φρενός*, de qua Blomf. disputavit in gloss. Theb. 871. Illud *ἐκ θυμοῦ* idem est; quod caveas ne vertas per »prae ira« aut »omnium virium contentione«.

alicujus rei vel in universum eam rem quae ad transigendam actionem commodaverit operam, qui usus permultas variationes molitur: *α*) *ἐκ* conjungitur cum verbis *εἶναι, γίγνεσθαι, βλαστάνειν, πεφυκέναι*, aliis, quae non raro quum desunt subaudienda sunt. Prom. 509 *πᾶσαι τέχναι βροτοῖσιν ἐκ Προμηθέως* „omnes artes mortalibus suppeditatae sunt a Prometheo"; Ag. 755 *ἐκ δ' ἀγαθᾶς τύχας γένει βλαστάνειν ἀκόρεστον οἰζύν;* Eum. 535 *ἐκ δ' ὑγιείας φρενῶν ὁ πᾶσιν φίλος ὄλβος;* Suppl. 459 *ἐκ τῶνδε τοίνυν μηχανὴ καλή* i. e. idem quod *ἐν τοῖςδε ἔνεστι μηχανὴ καλή* (cf. Prom. 381); Eum. 797 *ἐκ Διὸς λαμπρὰ μαρτύρια παρῆν;* Sept. 594 *ἐξ ἧς* (sc. *φρενὸς*) *τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.* Num Hermannus in Sept. 147 (161), qui versus depravatus est, pro *καὶ Διόθεν* recte posuerit *ἐκ Διόθεν* valde dubitandum; nisi fallor tales dicendi rationes cumulatae apud solos epicos, nusquam apud Atticos inveniuntur (cf. Hesiodi *ἔ. κ. ἡ.* 763; Krueg. gr. gr. II. 19, 3, 3; Il. 8, 19; 17, 548; 21, 199). Omnino rejicienda est opinio Meinekii qui in Philol. 19, 220 vel *Διόθεν ἐκ* proposuit. — *β*) Si *ἐκ* additur genetivo a substantivo pendenti, semper magnam habet vim quia partes agit totius enunciati. Interdum jure audacia, qua Aeschylus in hoc loquendi genere utitur, admirabilis est. Eum. 331 *ὕμνος ἐξ Ἐρινύων* „cantio a Furiis edita"; 934 *τὰ γὰρ ἐκ προτέρων ἀπλακήματα* „facinora a majoribus commissa"; Suppl. 163 et 173 *μῆνις ἐκ θεῶν;* Cho. 422 *ἄσαντος ἐκ ματρὸς θυμός* „ira quam mater fovet implacabilis est" [1]); Ag. 330 *ἐκ μάχης πόνος* „fatigatio quae proeliando coorta est"; 1016 *δόσις ἐκ Διός τε καὶ ἐξ ἀλόκων ἐπετειᾶν;* 1366 *τεκμήρια ἐξ οἰμωγμάτων* „testimonia quae nituntur ejulatibus"; 1470 *κράτος ἐκ γυναικῶν* „victoria a muliere reportata"; Sept. 61 *πέδια δ' ἀργηστὴς ἀφρὸς χραίνει σταλαγμοῖς ἱππικῶν ἐκ πνευμόνων.* Cho. 887 *τοὔπος ἐξ αἰνιγμάτων* (ita ibi conjungenda sunt verba, non

---

[1]) Cf. falsam Blomfieldii interpretationem in gloss. Cho. v. 416.

ξυνῆκα ἐξ αἰνιγμάτων; τοὔπος ἐξ αἰν. idem est quod αἰνιγματῶδες τοὔπος Suppl. 464 „dicta quae ex aenigmatis composita sunt"). Cho. 992 ἀνδρὶ ἐξ οὗ τέκνων ἤνεγχ' ὑπὸ ζώνην βάρος (etiam hic ἐξ οὗ trahendum ad βάρος i. e. ἐξ αὐτοῦ ὄν; cf. Suppl. 589). Eum. 92 σέβει τοι Ζεὺς τόδ' ἐκ νόμων σέβας „verecundia quae e legibus oritur, honor legum"; ita lectio codicum defendi quidem potest; sed scholia docent verba haec recta non esse; num meliorem putem Hermanni scriptionem ἐκνόμων, quam Weilius quoque accepit, an Hartungii ἱκομένων dubito. Suppl. 45 βοὸς ἐξ ἐπιπνοίας Ζηνὸς ἔφαψιν „tactionem bovis quae exiit ex afflatu divino". Egregie Dindorfius in Sept. 894 ἐκ θανάτων ἀραί scripsit contra libros, illud καί antistrophae retinens „exsecrationes a necibus genitae". Non probanda est lectio quam Hermannus et alii (ut Meinekius in Philol. 19, 220) secuti sunt in Sept. 731 (750) ἐκ φίλων ἀβουλίαις quam significare volunt „malis amicorum consiliis" [1]); etiam pejus Hartungius conjecit αὖ φίλων ἀβουλίαις; legendum cum Dindorfio ἐκ φίλων ἀβουλιᾶν (cf. infra; et Zeitschr. f. östreich. Gymnas. 10, 58). — γ) Apud verba passiva vel passivae significationis [2]) eandem fere vim habet ἐκ quam ὑπό, a quo ita differt, ut ὑπό nihil indicet nisi auctorem („per, durch"), ἐκ magis notionem originis et exitus prae se ferat („a partibus, von Seiten") [3]). Quem usum in sermone pedestri artissimos, apud poetas amplissimos fines habere no-

---

[1]) quin etiam, quandoquioem de consiliis quae Laio ab amicis essent data nihil traditum est ab antiquis, explicant »per uxoris amorem perverso consilio irretitus«.

[2]) Huc proprie non pertinent ea verba de quibus sub εα) egimus; sed quam propinquus ille usus sit ab hoc, apparet, praesertim si contuleris priora exempla sub γ) collata; certi fines determinari ubique non possunt.

[3]) Falsum igitur judicium facit Valcken. ad Her. 7, 175, qui edicit neque apud poetas neque apud prosarios inter ἐκ et ὑπό differentiam existere.

tum est. Hic occurrunt apud Aeschylum multiplices variationes. Interdum enim recte dubitari licet annon ἐκ nihil sibi velit nisi indicare locum vel personam ex qua quid oritur. Prom. 667 πυρωπὸν ἐκ Διὸς μολεῖν κεραυνόν; Eum. 797 ἐκ Διὸς γὰρ λαμπρὰ μαρτίρια παρῆν; Pers. 373 τὸ μέλλον ἐκ θεῶν, Suppl. 692 τὸ πᾶν ἐκ δαιμόνων λάχοιεν; fr. 377 τῷ πονοῦντι δ᾽ ἐκ θεῶν. Ita etiam ἐκ additur ut auctor indicetur verbis audiendi accipiendi discendi quae in prosa quoque saepe cum ἐκ conjunguntur. Ag. 348 τοιαῦτά τοι γυναικὸς ἐξ ἐμοῦ κλύεις „ex ore meo“; Suppl. 948 ἀκούεις ἐξ ἐλευθεροστόμου γλώσσης „ex meo ore libere loquenti“; Pers. 757 ἐξ ἀνδρῶν ὀνείδη κλύων; Eum. 867 τοιαῦθ᾽ ἑλέσθαι σοι πάρεστιν ἐξ ἐμοῦ „a me accipere potes“; Cho. 398 δίκαν δ᾽ ἐξ ἀδίκων ἀπαιτῶ „jus repeto ab injustis“; Sept. 700 ὅταν ἐκ χερῶν θεοὶ θυσίαν δέχωνται; Ag. 284 μέγαν δὲ πανὸν ἐκ νήσου Ἄθωον αἶπος ἐξεδέξατο „recepit flammam ab insula“; (cf. vero Cho. 762 ἐξεδεξάμην πατρί); Cho. 853 ἐξ ἀμαυρᾶς κληδόνος μαθών i. e. κληδόνος σημαινούσης, (rumor cogitatur dea). — Sed plerumque ἐκ idem esse quod ὑπό vel πρός, modo magis ex more poetarum, negari nequit. Prom. 221 ἐξ ἐμοῦ ὠφελημένος (cf. autem Eum. 807); 759 ἐκ Διὸς πάσχω κακῶς (cf. autem v. 1042, 92; Eum. 100); Cho. 1006 ὀλοίμην ἐκ θεῶν (cf. vero Suppl. 66); Ag. 735 ἐκ θεοῦ προσεθρέφθη; 1026 τεταγμέναν μοῖραν ἐκ θεῶν „sortem a diis constitutam“; 1284 ἄραρε γάρ τις ὅρκος ἐκ θεῶν μέγας; 1478 ἐκ τοῦ γὰρ ἔρως νείρῃ τρέφεται; Suppl. 18 ἐξ ἐπαφῆς κἀξ ἐπιπνοίας Διὸς τετέλεσται „genus nostrum procreatum est a tactione et afflatu Jovis i. e. ex afflante Jove“; Eum. 392 θεσμὸν ἐκ θεῶν δοθέντα (cf. Philoct. 1316). Duobus locis Sept. 898 ἀραίῳ τ᾽ ἐκ πατρὸς πότμῳ et Ag. 1279 ἄτιμοί γ᾽ ἐκ θεῶν (cf. etiam fr. 45, 7 τέλειος ἐκ νοτίζοντος γάμου), ubi ἐκ pendet ex adjectivis, adjectiva sunt pro participiis verborum ἀρᾶσθαι et ἀτιμάζειν (τελεῖσθαι; cf. Oed. C. 51). — Quam grave et forte sit ἐκ hanc notionem habens ex illis locis intelli-

gitur, quibus non persona inducitur aliquid efficiens sed res, quae ita vero non cogitatur res sed persona. Hic imprimis caveas ne opineris ἐκ c. gen. eadem esse vi qua dativum instrumentalem, id quod multi docuere. Etsi enim talis dativus satis idoneus fuit ad exprimendam causam efficientem, tamen ἐκ prorsus alium colorem dat locis quibus ponitur. Quod manifeste apparet ex Sept. 750 κρατηθεὶς ἐκ φίλων ἀβουλιᾶν, ubi mala Laii consilia cogitantur perniciosa numina quae regis animum superant et in stultitias impellunt; Suppl. 942 ἐκ πόλεως μία ψῆφος κέκρανται i. e. ἐκ πολιτῶν; Sept. 805 ἄνδρες τεθνᾶσιν ἐκ χερῶν αὐτοκτόνων (cf. So. Trach. 1133; Oed. r. 811), ubi manus inducuntur agentes et efficientes mortem, non tales quibus usi sunt Eteocles et Polynices ad mortem parandam; Suppl. 82 ἐκ πολέμου τειρομένοις; Ag. 1496, 1520 δολίῳ μόρῳ δαμεὶς ἐκ χερὸς ἀμφιτόμῳ βελέμνῳ, ubi vis praepositionis inter duos dativos instrumentales positae permagna est. Verba in Ag. 1183 φρενώσω δ' οὐκέτ' ἐξ αἰνιγμάτων comparanda sunt cum v. 1178; 1638 ἐκ τῶν δὲ τοῦδε χρημάτων πειράσομαι ἄρχειν „auxilio divitiarum, opibus adjutus"; Cho. 523 ἐκ τ' ὀνειράτων καὶ νυκτιπλάγκτων δειμάτων πεπαλμένη; In Ag. 1112 ἐξ αἰνιγμάτων ἐπαργέμοισι θεσφάτοις artificiosis explicationibus ab Engero, Schneidewino, aliis propositis opus non est; dicuntur enim oracula, quae obscura reddita sunt aenigmatis. Difficilior est locus in Cho. 157 κλύε δέ μοι σέβας ὦ δέσποτ' ἐξ ἀμαυρᾶς φρενός „audi me rex gloriose ex mente tua tenebrosa", ubi ἐκ vim localem magis habet quam ut dictum sit de re per quam quid perficitur; respicit enim chorus regem a quo amplo spatio est separatus. Ceterum mihi explicatio olim a Schuetzio proposita, quae propter interpunctionem quam ille sequebatur admitti non potuit, aliquanto melior esse videtur. Si enim secuti Hermannum post σέβας „venerationem, preces" ponemus comma, cum hac voce facillime conjungere possumus ἐξ ἀμαυρᾶς φρενός „preces quae e corde malis ob-

nubilato fundimus"; itaque hoc exemplum iis est adnumerandum quae sub e β) contulimus. — f) Huic notioni tam propinqua est significatio convenientiae „ex, causa, secundum, gemäss, nach, in Folge", qua id describitur quod ex aliqua re consequitur, ut inter utrumque usum certi fines non semper possint terminari quia omnibus his dictionibus subest fontis unde aliquid exoritur notio. Etiam hic dicendum *ἐκ* usque suam vim retinere neque umquam idem esse quod dativum instrumentalem vel modalem vel alias praepositiones. Prom. 485 *κἄκρινα πρῶτος ἐξ ὀνειράτων ἃ χρὴ ὕπαρ γενέσθαι*, quod compares cum v. 51 *ἔγνωκα τοῖσδε;* Ag. 101 *ἐκ θυσιῶν ἀγανὴ σαίνουσ᾽ ἐλπίς*, (spes laeta et blanda de ea ipsa sausa in choreutis oritur, quia flammas sacrorum vident; *ἐκ* igitur est „[spes] provocata a") [1]; Cho. 929 *οὐξ ὀνειράτων φόβος;* Ag. 268 *πέφευγε τοὔπος ἐξ ἀπιστίας* [2]) (cf. So. El. 398); Cho. 515 *ἐκ τίνος λόγου* „qua causa commota", idem quod antecedens *πόθεν;* Eum. 784 *ἐκ δὲ τοῦ* (sc. *σταλαγμοῦ*) *λειχὴν* „lichen, qui provenit ex saliva, quem provocavit sputum tuum"; *πέδον ἐπισύμενος κηλῖδας ἐν χώρᾳ βαλεῖ;* Pers. 397 *ἔπαισαν ἅλμην ἐκ κελεύματος* „in numerum"; fr. 249 *στέφανος δεσμῶν ἄριστος ἐκ Προμηθέως λόγου* „Prometheo teste"; 290, 3; 128 (?); Suppl. 911 *ἐκ τίνος φρονήματος* „qua superbia ductus"; quinquies [3]) *ἐκ τῶνδε* [4]) „quare, quum res ita sint" Ag. 877,

---

[1]) cf. conjecturam Ahrensii in Philol. Suppl. I. p. 559 ad Ag. 804 *ἐκ θυσιῶν* pro *θνήσκουσι*, quam improbo quum obscuritate sit circumfusa; Todtii in Philol. 15, 208 ad Eum. 177 *ἐκ νόμου* pro *ἐκείνου*, quam num probem nescio.

[2]) cf. vero Prom. 436 *μή τοι χλιδῇ δοκεῖτε μηδ᾽ αὐθαδίᾳ σιγᾶν με.*

[3]) Nam egregie *ἐκ τῶνδ᾽* in Eum. 550 a Wieselero mutatum est in *ἑκών;* Pessime Hartungius in Pr. 512 (509) scripsit; (cf. Rauchensteinium in »Zeitschr. f. Alterthumsw.« XI, particula 43).

[4]) De *τῷ* Prom. 237, quod eodem fere est sensu, sed rarissime usu venit apud Atticos, cf. Krueg. II. 50, 1, 5 et I. 50, 1, 21.

1223, 1603. Cho. 1056; Sept. 356 [1]; semel Pers. 788 *ἐκ τούτων* cui idem sensus inhaeret; cf. H. Stephanum ad So. Trach. 1111 ed. Erf. — Multas harum locutionum adverbialem vim nactas esse per se patet; etiam ex iis dictionibus quas supra jam attulimus haud paucas pro adverbiis positas esse vix monendum est [2]. Adde *ἐκ τῶν ὁμοίων* Ag. 1423; *ἐξ ἴσου* Suppl. 406; *ἐξ ἀέλπτων κἀπρομηθήτων* 357 [3]; cf. Matthiae gr. gr. §. 574.

c) Jam eorum locorum mentionem faciamus, quibus praepositio *ἐκ* notionem transeundi ex una conditione in aliam indicet vel rem mutatam et conversam describat. In quam significationem jam eorum quae in initio adscripsimus aliquot exempla propendent ut Sept. 228. Sed multo fortior et magis expressus hic usus est Ag. 900 *κάλλιστον ἦμαρ εἰσιδεῖν ἐκ χείματος;* Pers. 301 *λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου;* Cho. 340 *ἀλλ᾽ ἔτ᾽ ἂν ἐκ τῶνδε θεος χρῄζων θείη κελάδους εὐφθογγοτέρους.* Quae significatio intime cohaeret cum significatione temporali, quae huic praepositioni saepe inest, qua denotetur tempus ab aliquo initio procedens. *ἐξ οὗτε* „ex quo" Pers. 762; Eum. 25; *ἐξ ἀρχῆς* Eum. 284, 583; Pers. 979 *δυσθέατα πήματα ἐδείξατ᾽ ἐκ φυγᾶς ἐμοί* „ex illo tempore quo fugit." Ita *ἐξ* indicare potest etiam rerum continuationem et coacervationem. Ag. 1110 *προτείνει δὲ χεὶρ ἐκ χερὸς ὀρέγματα;* cf. So. Trach. 28 *ἐκ φόβου φόβον;* Bernhardy. p. 226.

3) Liceat pauca addere de *compositis* quorum numerus apud Aeschylum est ad centum septuaginta. Significat ve-

---

1) ubi neminem Hermanni conjecturam probaturum esse confido difficillimam ad intelligendum. Si legemus *τίς μ᾽ ἐκ τῶνδ᾽ εἰκάσαι λόγος πάρα,* omnia bene habent.

2) ut fr. 58, 8 *ἐξ ἀφανοῦς* i. e. *τηλόθεν;* cf. Philoct. 467 et Lobeckium ad Aj. 15 et p. 331; *ἐκ φρενός* »aperte, sincere«; *ἐκ τίνος λόγου* »*διὰ τί, πόθεν*«.

3) cf. *ἀέλπτως* Suppl. 987; Pers. 261; *ὁμοίως* quod saepius eodem sensu est quo *ἐκ τῶν ὁμοίων.*

ro ἐκ in his compositis a) plerumque exitum vel remotionem ex loco vel re quadam et in propria et in tralata significatione, ut in ἐκβαίνειν, ἐκβάλλειν, ἐκθρώσκειν, ἐκπέμπειν, ἐκπίπτειν, ἐξέρχεσθαι, ἐξάγειν, ἐκπνεῖν (βίον Ag. 1493, 1517; Prom. 359 κεραυνὸς ἐκπνέων φλόγα); Prom. 535 ἀλλά μοι τάδ᾽ ἐμμένοι καὶ μήποτ᾽ ἐκτακείη „ex me effluat“ [1]); ἐκπλεῖν „ex portu evehi“; ἐκπλήσσειν, ἐκλύειν, ἐκφεύγειν etc. Locus unde motio fit aut in genetivo ponitur, aut (sed multo rarius) enotatur adjecto ἐκ. Prom. 909 ἐκ τυραννίδος ἐκβάλλειν; 956 ἐκ τῶνδε sc. περγάμων ἐκπίπτειν. Vix addi opus est simplex verbum addita ante substantivum praepositione non minus saepe inveniri quam compositum cum solo genetivo; cf. ut pauca afferam λύειν ἐκ Prom. 509, 770, 872; ἐκλύειν τινός Prom. 235, 326, 339; etiam λύειν τινός Prom. 1006; Suppl. 1066; βαίνειν ἔκ τινος Cho. 22; ἐκβαίνειν τινός Ag. 906, 1039; πίπτειν ἔκ τινος Eum. 147; Cho. 185; Pers. 313; ἐκπίπτειν τινος Prom. 756, 757, 948 etc. Neque id ignotum est genetivum qui ex sententiarum nexu facile subaudiatur, saepe omitti; cf. Ag. 270; Prom. 535. Cum vi locali etiam aliae rationes arcte cohaerent, ut ἔκκρουστος indicans prominentiam ex re subdita Sept. 542; ἔκκριτος, ἐκπρεπής „ex multis electus, enitens.“ Facile intelligitur qui fieri potuerit ut in ἐκκλέπτειν et ἐξηγεῖσθαι [2]) Ag. 662 notio insit „furtim, lente educere.“ De verbi ἐκμαρτυρεῖν significatu (est terminus technicus) vid.

---

[1]) Oppositum est ἐντετηκέναι. Vid. Soph. El. 1311 et Brunck; Trach. 463 et Schneidew.

[2]) De variis conjecturis ad hunc versum excogitatis cf. Ahrensium in Philol. Suppl. I. p. 545. Hermannus emendationem ἐξηγήσατο jure defendit contra Blomfieldium. Una res quae ipsum dubium reddit, quod ἐξ aliter in ἐξηγήσατο quam in ἐξέκλεψεν dictnm sit, parvi pretii est. Etenim si ἐξηγεῖσθαι duobus locis in Oed. Col. exstantibus ita usurpatum est, ut ἐξ superfluum videatur, inde non sequitur hoc ubique ita esse. ἐξηγεῖσθαι perbene significare potest »furtim educere«, ut ἐκκλέπτειν »clam removere«.

Herm. ad Ag. 1155; Cho. 1037; Ahrensium in Philol. I. p. 626. — De ἐκγενεῖς quam vocem Herm. conjecit scribendam esse pro ἐκτενεῖς Suppl. 983 „e gente ejectos vel ejiciendos“ cf. ipsum ad v. 953. — b) originem rei ut in ἔκγονος et ἔκγονον. c) absolutionem et perfectionem actionis, ut in ἐκδιδάσκειν, ἐκμανθάνειν, ἐξαμαρτάνειν, ἐκπέρθειν, ἐκπράσσειν, ἐξαποφθείρειν, ἐξαπολλύναι, ἐκτελευτᾶν [1]), ἐξαμᾶν, ἐκκαθαίρειν, ἐκπονεῖν, ἐκπερᾶν „prorsus, plane ...“ Ite saepissime praepositio ad augendam potestatem simplicis adhibita est; cf. Bothium ad Pers. 207. ἐκκυνηγετεῖν Eum. 231 eventum indicat „venando consequi“ cf. Herm. ad Eum. 230. Perpulchra conjectura Hermannus in Suppl. 516 ἐξερημώσει scripsit, de qua Engerus in Mus. rhen. 11, 449 sine causa dubitavit. ἐξοπλίζειν „armis instruere“ (Suppl. 683, 702) corruptum est in v. 98 ubi nonnulli falso cogitavere de significatione „armis exuere“; recte Herm. restituit ἐξαλύξει. De ἐκτελέων aut ἐκ τελέων Ag. 105, pro quo plerique scripserunt ἐντελέων, Weilius ἐκλεκτῶν cf. Ahrensium in Philol. Suppl. I. p. 272 qui omnes difficultates perpendit, cujus vero propositio rejicienda est; ἐντελέων rectum; cf. Herm., Schneidew. et Enger. p. 11 (novae editionis). — d) rarius ἐκ in adjectivis compositis significat „contra“, idem fere efficiens quod ἀ στερητικόν [2]); ἔκδικος Prom. 1093; Eum. 489; fortasse etiam Cho. 996; cf. Herm. ad Suppl. 74; ἐκδίκως bis; ἔκθυμος Pers. 372 „ratione expers, animi impotens“ contra Mediceum scriptum est, qui εὐθύμου praebet; nescio annon εὔθυμος confidenti animo, laetus“ retineri possit; ἐξαίσιος [3]) Suppl. 514; etiam ἐκ-

---

[1]) quod verbum et significat »perficere«, et »ad exitum pervenire« Suppl. 411.

[2]) De hujus usus ortu cf. Ahrensium in Philol. Suppl. I. p. 548; Eustath. p. 1514, 20.

[3]) Quod vocabulum saepius usu venit apud Graecos; cf. etiam ἐκνόμιος Pind. N. I. 56.

φάτως (ἅπ. λεγ. significans „nimis, quod verbis dici nequit") huc pertinet [1]. ε) Nec frequens ea vis est qua efferat ἐκ notionem mutandi et transponendi in aliam conditionem. ἐκδρακοντοῦν „in draconem mutare" Cho. 549 (cf. ἐξανδροῦν in Eur. Suppl. 725); ἐκτυφλοῦν Cho. 536 „occaecare"; ἐξαϊστοῦν; ἐξομματοῦν Prom. 499 „perspicuum reddere", idem quod ἐκκαλύπτειν „ita aperire ut ignorantiae status plane evanescat." —

Notandum est de quo jam diximus quum de ἀπό agebamus, Aeschylum amare addere has praepositiones verbis dicendi audiendi et querendi; cf. ἐκβάζειν Ag. 498; ἔκλογος fr. 232 „enarratio"; ἐκφράζειν Prom. 950 quam formam Hartungius nulla causa falsam judicat; ἐξαυδᾶσθαι Cho. 151, 272; ἐξαυχεῖν Ag. 872; ἐξεύχεσθαι; ἐξειπεῖν; ἐξιστορεῖν; ἐκπεύθεσθαι; ἐξακούειν Eum. 397; quibuscum etiam conferri possunt locutiones ἔπη ἐκβάλλειν Ag. 46; 1663; ἐκρίπτειν Prom. 932 „audacter et superbe pronuntiare", pro quibus Aeschylus aliis locis dixit ἐπορθιάζειν sc. φωνήν. — Praeterea addo haec composita, quae aut apud unum Aeschylum inveniuntur aut minus usitatis significationibus sunt. Quorum permulta ingentes difficultates praebent et recte addubitantur. Sed copiose de iis agere longum est. In Prom. 362 perpulchra verba leguntur ἐξεβροντήθη σθένος „ejus robur tonitru expulsum et confectum est"; Sept. 62 πόλιν ἐκθαμνίζειν „cum ipsa stirpe evertere"; Prom. 1025 ἐκθοινᾶσθαι „cum magna voluptate (totum jecur) comedere"; ἐκκαρπίζεσθαι Sept. 601 vix esse potest „generare, procreare"; cf. Herm. ad v. 582; Hart. ad v. 558; Philol. 14, 44; aut versus spurius aut conjectura est sanandus (ἐκκομίζεται?); ἐκκηραίνειν μένος Eum. 128 „extinguere"; ἐκλαπάζειν Sept. 455 „expellere"; ἐκματεύειν Eum. 247 „explorare"; perdifficile vocabulum ἐκπάτιος Ag. 50, quod

---

[1] cf. etiam Hermanni scriptionem in Cho. 677 (691) ἐκπαθῶς pro εἶπας ὡς, quod esse dicit »immodice et sine malo« (?).

esse videtur „enormis“, sed diversissime explicatur ab aliis (cf. Philol. 12, 430 sqq.); *ἐκπέραμα δωμάτων* Cho. 655 „exitus, porta“; *ἐκπήδημα* Ag. 1376; ingeniosa est Schuetzii in Pers. 815 conjectura *ἐκπιδύεται* „scaturit“, dictum de malorum fonte, quam scriptionem Hermannus temere neglexit; Pers. 430 *κακῶν δὲ πλῆθος οὐκ ἂν ἐκπλήσαιμί σοι* „malorum copiam exhaurire, enarrare ita ut nihil intactum relinquatur, non possum“; *ἐκφορωτέρα* Eum. 910 utique corruptum; taedet explicationum artificiosarum; accipio Weilii *ἔκφορος σπορά*. De verbo *ἐξαγίζειν* Ag. 641 cf. Karstenium et Schneidew., qui vocem optime defenderunt et interpretati sunt, coll. Soph. Ant. 1081. Egregiam imaginem *ἐξανάζειν* efficit in Prom. 370; num *ἐκζέουσ᾽* integrum sit in Eum. 861 ambigitur; *ἐξαφρίζεσθαι* Ag. 1067 illustratur a Karstenio ad v. 964; *ἐκτολυπεύειν* Ag. 1033 „perficere cum magno labore“; *ἐξαμβρῦσαι* Eum. 925 de quo magna lis ardet, dubia quidem est lectio, sed optima omnium: minus aptum est Dindorfii *ἐξαμβρόξαι* „exsorbere“; *ἐξορίνειν* Ag. 1631 „excitare“. Jam apud omnes constat, voce *ἔξηβοι* Sept. 11 designari senes (Scholl: *οἱ ἔξω ἡλικίας*), quum olim multi ineptissime cogitassent de viris juventute florentibus (cf. Herm. Dind. et Hart.); *ἐξωριάζειν* Prom. 17 „leviter curare“ Hermannus defendere studuit; sed *εὐωριάζειν*, quod jam Porsonus voluit, unice rectum videtur (cf. Blomfieldium). Idem dico de *ἐξημείψατο* Prom. 223, quod Herm. retinuit, Blomfieldius mutavit in *ἀντημείψατο* „gratiam retulit“; de ejusmodi verbis raro certum et dubitationibus vacuum judicium fieri potest. De desperata voce *ἐξυπτιάζων* in Sept. 577 cf. interpretes, qui eo ipso, quod vel quaesitis explicationibus nihil lucrati sunt, satis superque probavere hoc vocabulum totumque versum corruptum esse.

Annot. Usus praepositionum *ἄνευ*, *ἄτερ*, *ἄγχι* (Pers. 467; Cho. 639), *πέραν* (Ag. 190, 1200); *χωρίς* „praeter, sine“; *ἕνεκα* tam simplex et ex regula est apud Aeschylum, ut de iis agere supersedere possimus. De forma tantum

ultimae vocis pauca addamus. Forma *ἕνεκα* quae longe usitatior erat apud Graecos quam *ἕνεκεν*, *εἵνεκα*, *εἵνεκεν*, *οὕνεκα* tamen apud Aeschylum bis tantum admissa est: Ag. 800 et fr. 191. *εἵνεκα* duobus quidem locis in Mediceo legitur: Prom. 345 et Suppl. 188; sed recte jam inde a Dawesio utroque loco scribitur *οὕνεκα* quandoquidem *εἵνεκα* ab usu tragicorum remotissimum est; cf. Kruegerum II. 68, 19, 1; Blomfield. ad Prom. 353. *οὕνεκα* vero ipsum praepositionis, non conjunctionis partes agens, libris datur quater: Ag. 823; Suppl. 477, 1007, 1015. *ἕκατι* (nusquam apud Atticos *ἕκητι*, cf. Porsonum ad Orest. 26) invenies in Pers. 300; Ag. 874; Eum. 71, 759; Cho. 214, 436, 437, 701, 996.

B. *cum accusativo.*

ANA. [1]

1. *De forma.* Tragicos saepissime ante consonantem brevi praepositionis vocali finali omissa *ν* litteram accommodasse illi consonanti nemo nescit [2]. Sic Aeschylus quoque multis locis. Pers. 566 *ἂμ πεδιήρεις;* Suppl. 350 *ἂμ πέτραις;* Ag. 305 *ἀνδαίοντες;* 1021 *ἀγκαλέσαιτο;* Cho. 382 *ἀμπέμπων;* Ag. 1599 *ἀμπίπτει;* 27 *ἐπαντείλασαν;* Cho. 282 *ἐπαντέλλειν;* 34 *ἀμβόαμα;* 280 *ἐπαμβατῆρας;* Sept. 535 *ἀντέλλουσα;* 466 *προςαμβάσεις;* Pers. 163 *ἀντρέψῃ;* 572 *ἀμβόασον;* 807, Prom. 605 *ἐπαμμένειν;* Suppl. 829 *ἀμφαίνω* (ab Hermanno mutatum); 781 *ἀμπετής* (alii *ἀμπτᾶσα*);

---

[1]) Quod *ἀνά* interdum a poetis conjungitur cum dativo, minime prohibere nos potuit quominus hanc praepositionem hic tractaremus.

[2]) cf. Reiz. »de accentus inclinatione« p. 39 sq.; Krueg. gr. gr. II. 8, 3, (1, 2, 7).

Eum. 365 ἄγκρισιν; quinquies ἀντολή; Suppl. 126 δυσάγκριτος; Eum. 262 δυσαγκόμιστος; 926 ἐξαμβρῦσαι vel ἐξαμβρόξαι vel ἐξαμβῶσαι (cf. Herm. et Weil.); num ἄγκαθεν huc spectet dubitatur (cf. Schneidew. ad Ag. 3; Philol. 3, 118 sqq.; Mus. rhenan. 7, 372; Karsten. p. 5.). Dindorfius contra codices formam elisam saepius restituit, ut in Pers. 621 ἀγκαλεῖσθε; 807, Eum. 243 ἀμμένειν; Prom. 817 ἐπανδίπλαζε, quod mihi suo jure fecisse videtur conferenti locos Ag. 1599; Sept. 535; Cho. 280 alios, quibus liber ἀν- vel ἀμ- praebet, licet versus etiam formam ἀνα- admittat. Non enim est quod putemus Aeschylum sibi hac in re non constitisse; atque quam saepe et facile hae breviores formae in codicibus a scribis in longiores mutatae sint, etiam deteriores Aeschyli libri interdum docent comparati cum Mediceo. Hermannus nonnumquam in conjecturis quas protulit hac breviore praepositionis ἀνά forma usus est, ut in Eum. 1014 ἐπανδιπλοίζω; Pers. 1052 ἀμμεμίξεται; Suppl. 806 ἀμφυγάν; 550 ἂγ γύαλα; 781 ἀμπετής. Idem fecere etiam alii: Dindorfius Sept. 146 ἀλλύτης; Hart. Suppl. 853 (797) ἂμ πτόλιν; Sept. 18 ἐπανδοκοῦσα; 206 (239) ἄμμιγα; Bernhardy et Bothius Ag. 101 ἀμφαίνουσα; Weilius Ag. 1429 (1374) ἄντιτον; Ahrensius in Philol. Suppl. I. p. 244 ἀνρύων [1]), p. 519 ἀνθείς; Heimsoethius p. 401 ἐξαμπετάζων etc. etc. Caveas autem ne in senariis formam correptam restituere velis si ἀνά praepositionis verae gerens vices collocatum est ante substantivum.

ἀνά anastrophen numquam patitur, quod Aristarchus quidem docuit; cf. Kruegerum I. 9, 11, 3; ii, qui contra hanc legem fecerunt, non respiciendi sunt; false igitur Hermannus in fr. 130, ubi tmesis est, ἄν' οὖς ἔχων et Sept. 1012 (1028) [2]); cf. Kruegerum II. 68 et 69. Alia est res

---

1) i. e. ἀναῤῥύων, »cujus vocabuli et forma et penultima producta dubitationem movet«.

2) Etiam hos locos Piersonus neglexit in Mus. rhen. 11, 116.

si ἄνα positum est pro ἀνάστηθι (Cho. 963; cf. Scholl. Il. ε, 824).

2. *De significatione.* Praepositio ἀνά in universum tenui est et maxime in melicis partibus usu; v. Bernhardy. p. 233. Novem vel decem tantum locis est vera praepositio.

Uno loco Cho. 963 ἄνα absolute positum est sensu „surgite“: ἄνα γε μὰν δόμοι. Ita Blomfieldius scripsit rectissime. Hermannus putans γὲ μάν hic non satis aptum esse introduxit ἄναγε quod esse vult „erige te vel erigite vos“. Sed haec significatio ficta est. γὲ μάν in unaquaque invocatione optime locum invenire potest; cf. Soph. Oed. C. 587 ὅρα γε μήν. ἄνα vero sensum habens imperativi ἀνάστηθι [1]) jam ab Homero dictum est; cf. Il. 9, 247; 6, 331; 18, 178; Od. 18, 33; So. Aj. 193; Eur. Troad. 99; v. etiam Philol. 19, 220.

a) Cum *dativo* praepositionem connexam invenies in Suppl. 350 ἂμ πέτραις in carmine lyrico, ubi indicat commorationem in saxis, non fugam per saxa. Notum est ἀνά c. dat. a tragicis raro admissum esse et numquam nisi in canticis notionem quietis habet. Sophocles dativum respuisse videtur, quo Euripides saepius usus est.

b) Ubicumque Aeschylus ἀνά conjunxit cum *accusativo,* praepositio indicat aut motionem vel pervagationem per spatium aliquod, aut notionem habet patendi et diffundendi per locum, atque proinde loco aliquo considendi; vis nativa ascendendi apud Aeschylum exemplis non confirmatur, nec magis transfertur ἀνά ad tempus. Prom. 573 πλανᾷ τε νῆστιν ἀνὰ τὰν παραλίαν ψάμμαν; Sept. 346 κορκορυγαὶ δ' ἀν' ἄστυ „sonitus per urbem resonant“; Pers. 566 τυτθὰ δ' ἐκφυγεῖν ἄνακτ' αὐτὸν εἰσακούομεν Θρῄκης ἂμ πεδιήρεις δυσχίμους τε κελεύθους ubi praepositio brevitate quadam

---

[1]) Quod ἄνα ad pluralem refertur hoc loco nihil miri habet, etiamsi nusquam alibi inveniretur conjunctum c. plur.

addita est verbo *ἐκφυγεῖν* ex quo simul audiendum est *φυγόντα;* 584 *ἀνὰ γᾶν Ἀσίαν οὐκέτι περσονομοῦνται;* Suppl. 843 *εἴθ' ἀνὰ πολύρυτον ἁλμήεντα πόρον διώλου;* 853 *ἀτίετος ἀνὰ πόλιν ἀσεβῶν;* fr. 170 *Ἰδαίαν ἀνὰ χθόνα.* Egregie Hermannus in Suppl. 550 restituit *ἂγ γύαλα;* nihil enim facilius in libris corrumpi potuit hac forma rariore. Num vero recte fecerint ei editores qui Hermannum secuti in Eum. 76 scripsere *ἀν' ἀεὶ τὴν πλανοστιβῆ χθόνα,* quam maxime dubium videtur. Etenim exempla ejusmodi collocationis rarissima sunt; cf. Matth. gr. gr. §. 595, 3, et *ἀεί* nimis friget. *ἀνά* quidem quod sensui perbene conveniat utique retinendum; quum conjectura adprobandum firma allata non jam sit, acquiescendum est in Hermanni lectione. (Fortasse placet *ἀλήτην ἀνά.*)

3. *De compositis* haec habeo quae afferam. a) Primum *ἀνά* indicat motionem quae altiorem petit locum. Cho. 382 *Ζεῦ, κάτωθεν ἀμπέμπων ἄταν;* Pers. 650 *Ἀϊδωνεὺς δ' ἀναπομπὸς ἀνείης Δαρεῖον;* Suppl. 781 *ἀμπετὴς κόνις* (ita Hermannus, qui hanc vocem significare dicit „expansus"; cur vero *ἀμπετής* hoc loco esse negemus „in altum se tollens, subvolans"? Mihi *κόνις ἀμπετὴς εἰς ἄος* (vel *αἰθέρ'*) prorsus idem esse videtur quod poeta Sept. 81 dicit *αἰθερία κόνις*); Sept. 535 *ταρφὺς ἀντέλλουσα θρίξ* dictum de crinibus barbae qui e genis proveniunt. Terra dicitur *ἀνιέναι* mortuos Cho. 489, monstra vel solamina irae Suppl. 267; *οὐρανομήκης λαμπὰς ἀνίσχει* „jubar flammae coelum petit". Etiam usus metaphoricus ubique perspicuus est apud Aeschylum; cf. Cho. 228 *ἀνεπτερώθης* „gaudium te sustulit"; de falsa Wunderlichii et Dindorfii scriptione in Prom. 354 *ἀνέστη* pro *ἀντέστη* cf. Herm. ad v. 356; Bergk. in Zeitschr. für Alterth. 1835 p. 946. Cur Blomfieldium secutus Hermannus et multi alii editores in Ag. 77 pro *ἀνάσσων* quod vel codices praebent scripserint *ἀνᾴσσων* mihi obscurum est (cf. Hartung. ad v. 75). — Quam accurate Graeci ubi verba motionem et directionem indicantia usurpabant externum

situm respexerint ac definite descripserint, omnes cognitum habent. Quae subtilis dicendi ratio etiam ab Aeschylo non negligitur; cf. verba *ἀνάγεσθαι* Ag. 626 pingens navigationem a littore in altum mare; *ἀναδαίειν* Ag. 305 et *ἀναίθειν* Cho. 356 „ita incendere materiam ut flamma se tollat", Ag. 658 *ἐπεὶ δ᾽ ἀνῆλθε λαμπρὸν ἡλίου φάος*; cur scripserint in Cho. 465 *ἂν ἔλθοι*, quum *ἀνέλθοι* bono sensu et optima imagine non indigeat, *ἂν* vero sensui parum conveniat, non video. — Imprimis notatu digna videntur multa et pulchra composita verborum querendi et ingemiscendi, quibus perspicue et plastice depingitur ex intimo pectore luctum et clamorem emissum ex ore in altum fluere. Etiam nos in nostro sermone ejusmodi verbis libenter addimus praepositionem „auf": *ἀνακωκύειν* „aufjammern"; *ἀναμυχθίζεσθαι*, *ἀναστένειν* [1], *ἀναστενάζειν*, *ἀνοιμώζειν*, *ἀναλολύζειν*, *ἀνατοτύζειν*, quibuscum conferas Suppl. 829 *βοὰν ἀμφαίνειν*. — b) Deinde *ἀνά* in compositis significat „retro, rursus, iterum", indicans rem vel actionem ad eum locum regredi vel removeri unde exierat. Huc pertinent permulta composita ut *ἀναγγέλλειν* Prom. 661 „renuntiare"; *ἀνάγειν τῶν φθιμένων* „ex mortuis aliquos reducere sc. in lucem" Ag. 1023; *αἷμα ἀγκαλεῖσθαι πάλιν* 1021, quo loco et in Pers. 333 *ἀναστρέψας πάλιν* vis praepositionis addito adverbio *πάλιν* aliquanto augetur; *ἀνιδεῖν* Cho. 808; *ἀνάστασις* Eum. 648 „restitutio" etc. — c) Ad ultimum *ἀνά* indicat rem ad culmen i. e. ad calcem et exitum aut pervenisse aut perventurum esse; corroborat igitur notionem simplicis; sed saepe vis praepositionis prorsus evanuisse videtur. Praeterea sunt composita, quae proprium sensum adepta sint, quod praepositionem effecisse probari non potest. *ἀναμένειν* Eum. 243 „usque ad finem opperiri"; *ἀναπαύειν* fr. 202, 8; *ἀνατλῆναι*, *ἀνατρέφειν*, *ἀνιστορεῖν*, *ἀνα-*

[1] De Aurati et Engeri conjectura *ἀναστένειν* pro *ἀναστῆναι* in Ag. 569 cf. Schneidew. ad v. 547.

πτύσσειν, δυσάγκριτος, ἀνοίγειν, ἀνάστασις „vastatio“; *ἀναρπάζειν* „abripere“; *ἀνασπᾶν* Eum. 647 dictum de pulvere qui sanguinem haustum bibit; (*κατασπᾶν* eodem jure poni potuit; perverse de illa voce Meinekius in Philol. 19, 226 judicavit).

Restat ut unum locum tractemus qui difficultatibus non caret; intelligo Sept. 1028 *κἀνὰ κίνδυνον βαλῶ.* Ita plerique editores Mediceum secuti legunt id quod recte fecere. Praetereo conjecturas et propositiones Blomfieldii, Porsoni, Hartungii, Heimsoethii, aliorum. *ἀνά* conjungendum est cum *βαλῶ* (de tmesi cf. fr. 130 *ἀν' οὖς ἔχων*). *κίνδυνον ἀναβάλλειν* idem est quod Herodotus V. 49 dicit *μάχας ἀναβάλλεσθαι;* VII. 50, Thuc. 4, 95; 6, 13 *κίνδυνον ἀναρρίπτειν* i. e. periculum subire; cf. Elmsl. ad Eur. Her. 149; Kruegerum ad Thuc. 4, 85, 2. Scholiasta recte explicat *ἐς κίνδυνον ἐμβαλῶ ἐμαυτήν.* Reflexivum *βάλλειν* omnino hic non est, id quod objiciendum erit Ahrensio (Philol. Suppl. I. p. 620).

ΕΙΣ.

1. De *forma.* Mirum in modum libri et editores fluctuant de scriptione praepositionis *εἰς* apud tragicos graecos. Constat quidem utramque formam, et *εἰς* et *ἐς*, apud eos usitatam fuisse, necdum tamen certae regulae repertae sunt quas secuti constituere possimus, ubi *εἰς*, ubi *ἐς* recte habeat. Quin etiam videntur alii scriptores alio modo hac in re egisse. Nam quum apud Thucydidem *ἐς* praevaleat, Plato *εἰς* praefert, si quidem Schneiderus et Poppo recte observaverunt. Judicia quae homines docti ad definiendum et constituendum hunc usum tulerunt saepe aliquantum inter se discrepant. Quorum nonnulla inveniuntur apud Elmsley. in praef. ad Oed. r. p. 12; G. Dindorf ad Arist. Ach. v. 242, Porson. ad Eur. Hec. p. 53; Brunck. ad Aesch. Prom. 478; Elmsley. ad Med. 88; Ellendt. lex. Soph. s. v. *εἰς*. Censuerim omnes hos viros doctos rectum non vidisse. —

Quod attinet ad Aeschylum εἰς metri causa necessarium est ante vocales in arsi. Ita in senariis: Prom. 2; 236; 361; 388; 1028; Sept. 255; 1050; Pers. 183; 326; Ag. 510; Cho. 299; 680; 712; Eum. 484; 763; Suppl. 882; in fragmentis quater; semel in versibus trochaicis Pers. 230; semel in anapaestis Ag. 1464; septies in canticis Sept. 680; Pers. 66; 97; Ag. 384; 435; Suppl. 103; 538. In thesi ante vocales poscimus εἰς quater in vv. anapaesticis Prom. 191; 153; 1074; 1086; semel in cantico Eum. 365. Sed quid jam nobis statuendum est, si in senariis εἰς collocatur in thesi quidem, sed in pede aut primo aut tertio aut quinto, ubi et brevis et producta syllaba locum habere potest? Si recte numeravi octo hujuscemodi exempla exstant. In primo pede Sept. 284; Ag. 815; Cho. 215; 676; Eum. 459; fr. 35; in tertio pede Ag. 1207; in quinto [1]) Sept. 442. Codex hic mire sibi non constat quum ter praebeat εἰς, quater ἐς; in fragmento illo εἰς legitur. Hermannus lectiones libri retinuit, Dindorfius semper introduxit εἰς, id quod recte fecit ut infra demonstrabimus. — Ante vocales multo rarius invenies ἐς, atque tum demum si εἰς nullo pacto ferri potuit, ut Prom. 2; 302; 387; 689; Sept. 240; Pers. 2, 833; Ag. 737; Eum. 56; 851; Suppl. 330; Cho. 612; fr. 273. — Ceterum jam hic apparet quam parvi momenti in talibus rebus sit codicis Medicei auctoritas. Nam in Eum. 365 et Suppl. 103, ubi aperte syllaba longa flagitatur, liber non εἰς dat, sed ἐς; exemplum vero in quo pro forma ἐς male scriptum sit εἰς omnino non exstat; qua re liquet facilius scribas εἰς mutasse in ἐς quam vice versa. Jam aggrediamur ad longe difficiliorem disputationem, num et quando ante consonantes litteras legendum sit εἰς et ἐς. Exeundum nobis est a codicibus, vel potius a codice no-

---

[1]) Ratio cur Elmsleius censeat in quinto senarii pede ἐς praeferendum esse quandoquidem eo ascito spondeus vitetur, nulla intelligitur.

stro; sed hic saepissime licet admirari editorum et magis etiam libri insignem inconstantiam. Quae admiratio aliquanto minuetur quum nobiscum reputaverimus, etiam ipsas inscriptiones hac in re constantes non esse. Cf. Boeckhii corp. inscr. I. p. 126 *ἐς* et *εἰςφορά*. Primum meum est in unum conferre locos ubi fons noster praebet *εἰς*, ubi *ἐς*. *εἰς* igitur invenies: Prom. 1 *εἰς τηλουρὸν ἥκομεν πέδον;* 1021 *εἰς φάος;* 478 *εἰς νόσον;* 497 *εἰς τέχνην;* Sept. 49; Cho. 914 *εἰς δόμους;* 210 *εἰς ταὐτό;* Eum. 29 *εἰς θρόνους;* Cho. 684; Eum. 401 *εἰς τὸ πᾶν;* Prom. 945 *εἰς θεούς;* Eum. 572 *εἰς τὸν αἰανῆ χρόνον;* 670 *εἰς τὸ πᾶν χρόνου;* 708 *εἰς τὸ λοιπόν,* qui loci omnes sunt in senariis. — *ἐς* vero legitur: Prom. 228 *ἐς θρόνον;* 473 *ἐς νόσον;* 646 *ἐς παρθενῶνας;* 658, 1050; Sept. 30; Pers. 485; 492 *ἔς τε;* Prom. 722 *ἐς μεσημβρινήν;* 813 *ἐς χθόνα;* 845 *ἐς ταὐτόν;* 965 *ἐς τάσδε;* Sept. 43 *ἐς μελάνδετον σάκος;* 208 *ἐς πρῷραν;* 252, Ag. 1267 *ἐς φθόρον;* Sept. 680 *ἐς χεῖρας;* 992, Suppl. 913 *ἐς πόλιν;* Pers. 222; 630; Cho. 459; fr. 6, 4 *ἐς φάος;* Pers. 379; Suppl. 902 *ἐς ναῦν;* Pers. 394 *ἐς μάχην;* 440 *ἐς τὰ μάσσονα;* 530; Ag. 966; 1068; fr. 256 *ἐς δόμους;* Pers. 588; Suppl. 766 *ἐς γῆν;* Pers. 739 *ἐς δὲ παῖδα;* 790 *ἐς τὸν Ἑλλήνων τόπον;* Ag. 239; Cho. 401 *ἐς πέδον;* Ag. 310 *ἐς τόδε στέγος;* 400; Cho. 937 *ἐς δόμον;* Ag. 851 *ἐς μέλαθρα;* 1000 *ἐς τὸ μὴ τελεσφόρον;* 1276 *ἐς τοιάσδε τύχας;* 1567 *ἐς τόνδε;* Cho. 240 *ἐς σέ;* 913 *ἐς τὸ δυστυχές;* 1056 *ἐς φρένας;* Eum. 11 *ἐς τήνδε γαῖαν;* Suppl. 408 *ἐς βυθόν;* 769 *ἐς νύκτα;* 852 *ἐς δόρυ;* 925 *ἐς μακράν;* Pers. 161 *ἐς δ' ὑμᾶς;* Prom. 844; Eum. 408 *ἐς κοινόν;* Pers. 801 *ἐς τὰ νῦν;* decies *ἐς τὸ πᾶν* vel *ἐς τὰ πάντα;* Ag. 68 *ἐς τὸ πεπρωμένον;* Pers. 339 *ἐς τριακάδας;* Sept. 21 *ἐς τόδ' ἦμαρ;* 744 *αἰῶνα ἐς τρίτον;* Pers. 526 *ἐς τὸ λοιπόν;* Ag. 621 *ἐς τὸν πολὺν χρόνον.* — Quod attinet ad voces cum hac praepositione compositas, *ἐς* metri causa necesse est legatur Cho. 77 *ἐςᾶγον* aut *ἐςάγοντες;* Pers. 290 *ἐςαναγκάζει;* Eum. 836 *ἐςαεί;* Ag. 1334 *ἐςέλθῃς;* Pers. 845

ἐςέρχεται; Ag. 1181 ἐςήξειν; Pers. 111 ἐςορᾶν; Prom. 141 ἐςίδεσθε; 184; Pers. 914 ἐςιδεῖν! 1093 ἐςορᾷς. Dubii esse possunt loci Prom. 1002; Ag. 814; 951; Sept. 602, quibus etiam liber fluctuat. εἰς ponendum est: Eum. 30, 580, 582; Sept. 558; Prom. 145, 244, 245, 246, 427, 732, 750, 800, 941, 569, 695, 122, 899; 1075; Pers. 200; Ag. 837, 900; Suppl. 486, 439, 617. Composita in quibus praepositionem excipit consonans in codice εἰς habent haec: Ag. 648 ἐπειςφέρειν; Cho. 694; Sept. 602 ξυνειςβάς; ἐς vero: Suppl. 471 ἐςβέβηκε; Sept. 454 ἐςθορεῖν; Ag. 951 ἐςκόμιζε. — Quibus ita collatis quomodo Aeschylum formis εἰς et ἐς usum esse putabimus? Hic mihi per spatium non conceditur regulas quas infra dabo multis comprobare; tamen puto eas tam simplices esse ut non facile quisquam de iis dubitaturus sit, praesertim si asseveravero, me huic quaestioni multum temporis et operae navasse.

Reg. I. Aeschylus, Sophocles, Euripides in universum rebus parvis nonnullis exceptis eodem modo formis εἰς et ἐς usi sunt.

Reg. II. Librarii sexcenties mutavere εἰς in ἐς, quum perraro vel numquam fere pro ἐς male scripserint εἰς.

Reg. III. Tragici *ante vocales* in dialogis vel in particibus quae imitantur sermonem popularem et quieta metra ostendunt, semper εἰς posuerunt, ἐς ita tantum usurpantes si per metrum εἰς locum invenire non poterat. In lyricis vero carminibus vel in metris vividioribus et splendidioribus ἐς et εἰς promiscue quidem usu veniunt, sed ἐς longe praevalet. Quare in senariis semper scribendum est εἰς etiam libris repugnantibus.

Reg. IV. Sumi nullo pacto potest tragicos *ante consonantes* formis εἰς et ἐς eo modo usos esse quem libri ostendunt [1]). Neque vero Dindorfius recte egit qui semper

---

[1]) Ut de solo Aeschylo dicam; quis opinabitur poetam discrimine nullo scripsisse nunc ἐς τὸ πᾶν, nunc εἰς τὸ πᾶν; nunc ἐς τὸ

ante consonantes restituit ἐς. Omnes fere ceteri tragicorum editores qui maximam partem codices sequuntur, sed haud raro contra librorum auctoritatem formam traditam mutavere [1]), certas regulas ante oculos non habuerunt, sed inconstantissimi fuere. Tragici qui ante consonantes et εἰς et ἐς collocaverunt in usu harum formarum licentiae aut temeritatis nihil admiserunt. Dubitare non possumus, quin sonus, thesis et arsis multum hac in re valuerit; praeterea vis et pondus quod praepositio habuit; denique etiam usus interdum hujus rei dominus ac tyrannus fuisse potest, certe locutionum et formularum quarundam (cf. Kruegerum I. 68, 21, 1). Etiamsi raro constitui potest utra scriptura loco unoquoque eligenda sit, tamen etiam libri docent, εἰς ante consonantes persaepe sedem invenisse in senariis et metris simplicioribus, rarius in carminibus lyricis, ἐς autem praelatum esse in metris magnificentioribus. In vocabulis compositis aliquanto praevalet εἰς, praecipue in senariis.

Pauca addere liceat de forma vocis ἔσω. Ellendtius I. p. 543: „Si memineris Aristophanem et Platonem numquam dixisse ἔσω (de hoc. v. Schneider. praef. ad civ. I. 53) vera videbitur Elmsleii sententia (ad Med. 88) etiam Hermanno probata (ad Trach. 201), ἔσω tragicis nonnisi versu cogente admissum, a comicis, ut ἐς, abesse longissime.“ Quam observationem Dindorfius secutus esse videtur, qui semper metro non vetante etiam contra codices εἴσω restituit (excepto Ag. 1052, quod miror) eique assentior. Sic magis etiam confirmatur sententia quam supra protuli, in imparibus senariorum pedibus semper ante vocales εἰς esse scribendum. — ἔσω unice recte habet Ag. 1343;

λοιπόν, nunc εἰς τὸ λοιπόν; nunc εἰς νόσον πίπτειν, nunc ἐς ν. π.; εἰς φάος et ἐς φάος; εἰς δόμους et ἐς δόμους; εἰς θρόνους et ἐς θρόνους; εἰς τὸν αἰανῆ χρόνον et ἐς τὸν πολὺν χρόνον, εἰςορᾶν et ἐςορᾶν etc.?

[1]) cf. Hermannum in Prom. 479; 1025; Sept. 49; Cho. 902. Talis agendi ratio flocci non pendenda est.

Cho. 553, 919, 921; εἴσω Sept. 560. Codex in quinto senarii pede praebet εἴσω Sept. 232, atque in primo (Flor.) Ag. 1035; restituendum est εἴσω Sept. 557; Ag. 1052; Cho. 849.

2. *De significatione.* a) Praepositio εἰς longe plurimis locis ab Aeschylo ita usurpata est ut locum indicet in quem motus vel actio dirigitur; (opposita igitur est praepositioni ἐκ). Itaque describit ejusmodi motionem qua locus aliquis vel spatium intretur, vel aliquid aliquo contineatur, in quo usu notissimo Aeschylus a via trita omnino non recedit. Adjungamus his exemplis ea, quibus „εἰς πόλιν, εἰς γῆν, hoc quidem nomine *terram*, non *solum* significante ponitur pro πρὸς πόλιν, πρὸς γῆν; cogitantur enim introire advenientes; nec minus locutiones usus tralati quibus spatii intrandi subest notio, ut si εἰς οἶκον s. εἰς οἴκους *domum* significat." Prom. 1, 2 χθονὸς μὲν ἐς τηλουρὸν ἥκομεν πέδον, Σκύθην ἐς οἶμον, ἄβροτον εἰς ἐρημίαν [1]); 153 εἰς ἀπέραντον Τάρταρον ἧκεν; 301 τὴν σιδηρομήτορα ἐλθεῖν ἐς αἶαν; 1050 ἐς κελαινὸν Τάρταρον ῥίψειε; 387 ἐς οἶκον στέλλει; 646 πωλεύμεναι ἐς παρθενῶνας τοὺς ἐμούς (cf. Od. 2, 55; 17, 534); 658 ἐς Πυθὼ θεοπρόπους ἴαλλεν; 813 οὗτος σ' ὁδώσει τὴν τρίγωνον ἐς χθόνα; 1028 εἰς ἀναύγητον μολεῖν Ἅιδην; Pers. 2 οἰχομένων Ἑλλάδ' ἐς αἶαν; 230 εὖτ'

[1]) Poeta saepius quidem apud appositionem iterat praepositiones cf. Cho. 90, sed loci, quibus hoc neglexit, multo plures sunt; cf. Sept. 241 τάνδ' ἐς ἀκρόπτολιν, τίμιον ἕδος, ἱκόμαν; 540; Ag. 309, 348; Cho. 561 etc. (v. de omissione et repetitione praepositionis apud apposit. Krueg. I. 57, 9, 2 et 10, 4. Alium locum quo hunc in modum praepositio bis sit posita apud Aeschylum non inveni; quod Sept. 957 in enunciato relativo praepositio iteratur, prorsus ex regula est; cf. Krueg. I. 51, 11, 1.). — Non minus saepe quam εἰς c. acc. apud nomina urbium, terrarum, locorum etiam nudus accusativus apud Aeschylum legitur; cf. Pers. 809, 736; Ag. 968; Suppl. 238, 768; Prom. 709, 717; Pers. 15; Suppl. 20, 558, 955 etc. v. etiam Wellaueri lex. s. vv. δόμος, πέδον, γῆ, πόταμος, πόλις, ἄστυ, ἥκειν etc.; cf. praeterea πόντονδε Suppl. 33; οἴκαδε Ag. 1337, πέδοι etc.

ἂν εἰς οἴκους μόλωμεν; 833 ἐλθοῦσ᾽ ἐς οἴκους; 492 Μαγνητικὴν δὲ γαῖαν ἔς τε Μακεδόνων χώραν ἀφικόμεσθα, ubi falso Dindorfius ἔς τε mutavit in ἠδέ; inveniuntur enim apud Aeschylum et alios poetas permulta exempla quibus praepositio adjecta est secundo membro (cf. Lob. ad Aj. 397; Aesch. Suppl. 311; Sept. 860; (Ag. 843; Eum. 617); Cho. 232; Mus. rhen. 7, 239); praeterea vocula ἠδέ rarissime invenitur in trimetris; — Pers. 67 πεπέρακεν ὁ στρατὸς εἰς ἀντίπορον γείτονα χώραν; 530 προπέμπετ᾽ ἐς δόμους; 1068 ἐς δόμους κίε; 97 παρασαίνει βροτὸν εἰς ἄρκυας Ἄτας (sic legendum); 379 ἐς ναῦν ἐχώρει; 790 εἰ μὴ στρατεύοισθ᾽ ἐς τὸν Ἑλλήνων τόπον; Eum. 459 μολὼν εἰς οἶκον; 11 ἐς τήνδε γαῖαν ἦλθε Παρνησοῦ θ᾽ ἕδρας; 56 φέρειν ἐς ἀνθρώπων στέγας; Ag. 851 ἐς μέλαθρα καὶ δόμους ἐφεστίους ἐλθών; 435 σποδὸς εἰς ἑκάστου δόμους ἀφικνεῖται; 966 φυλλὰς ἵκετ᾽ ἐς δόμους; 737 ἐλθεῖν ἐς Ἰλίου πόλιν; 400 ἐλθὼν ἐς δόμον τὸν Ἀτρειδᾶν [1]); 815 εἰς αἱματηρὸν τεῦχος ψήφους ἔθεντο; 911 ἐς δῶμ᾽ ἡγεῖσθαι; 957 εἶμ᾽ ἐς δόμων μέλαθρα; Cho. 914 οὔτοι σ᾽ ἀπέρριψ᾽ ἐς δόμους δορυξένους; 938 ἔμολε δ᾽ ἐς δόμον τὸν Ἀγαμέμνονος; 3 ἥκω γὰρ ἐς γῆν τήνδε; 712 ἄγ᾽ αὐτὸν εἰς ἀνδρῶνας; Sept. 992 κατῆλθες ἐς πόλιν; Suppl. 913 ἐς πόλιν μολεῖν; 330 κέλσειν ἐς Ἄργος (cf. vero v. 16 κέλσαι δ᾽ Ἄργους γαῖαν); 852 κί᾽ ἐς δόρυ „in navem"; 882 βαίνειν βᾶριν εἰς ἀμφίστροφον; 902 ἐς ναῦν εἶσιν; 408 δίκην κολυμβητῆρος ἐς

---

1) Summae temeritatis est quod nonnulli locutiones quales θυμῷ βάλε Prom. 706; κιδύνῳ βαλεῖν Sept. 1048; βᾶτε δόμῳ Eum. 1032; τύμβῳ (τάφῳ?) χέουσα Cho. 87 (cf. vero v. 92) etc. mutavere inserentes praepositiones aut verba composita; dativum localem saepissime etiam directionem indicare multis exemplis Kruegerus II. 46, 2, 4 comprobat. Neque id laudandum quod permulti mutaverunt πέδῳ quod invenitur in locutionibus πέδῳ σκήπτειν Prom. 749 Sept. 429; πέδῳ πίπτειν Eum. 479; Cho. 48; πέδῳ χεῖν Eum. 263, 653 in πέδοι quod per se et ipsum collocari potuit. De πέδον πατεῖν, quod ferri nequit, videas Herm. ad Ag. 1317.

βυθὸν μολεῖν; fr. 35, 2; 210, 1; 256, 2; 273. Praeterea notabiles sunt ellipticae formulae *εἰς Ἅιδου μολεῖν* et *φέρειν* Prom. 236; fr. 2̆2; egregia Hermanni conjectura in Prom. 677 (678) *Λέρνης τ' ἐς ἀκτήν.*

b) Mon multo diversus est is usus quo *εἰς* dicitur de actione aliquo versus directa; ubi duae rationes sunt discernendae; aut enim motus rem petitam attingit et in ejus superficiei aliquo spatio haeret [1]), aut eam non tangit, ita ut directio tantum describatur, quae aliquo versus fit „an, zu, nach, auf, bis an, bis auf, nach - zu, nach - hin.“ Sept. 30 *ἔς τ' ἐπάλξεις καὶ πύλας πυργωμάτων ὁρμᾶσθε πάντες* (cf. So. Ant. 1110); 240 *τάνδ' ἐς ἀκρόπτολιν, τίμιον ἕδος, ἱκόμαν* (de mutationibus quae hoc loco a multis sunt institutae cf. Herm. ad v. 223; Heimsoeth. p. 105); 442 *εἰς οὐρανὸν πέμπει γεγωνὰ ἔπη* (cf. Ag. 92); 208 *ὁ ναύτης ἆρα μὴ ἐς πρῷραν φυγὼν πρύμνηθεν;* Prom. 722 *ἐς μεσημβρινὴν βῆναι κέλευθον* „se vetere in partem meridionalem“; 228 *ἐς θρόνον καθέζετο;* Eum. 29 *ἐς θρόνους καθιζάνω;* Pers. 588 *ἐς γᾶν προπίτνοντες* „humi se jacere“; Ag. 238 *ἐς πέδον* [2]) *χέουσα βαφάς;* Cho. 401 *σταγόνας χυμένας ἐς πέδον* (cf. So. Trach. 701); 676 *στείχοντα εἰς Ἄργος* (Orestes enim Argos petebat, a quibus dum longe separatus erat); similiter 680 *εἰς Ἄργος κίεις;* Suppl. 538 *παλαιὸν δ' εἰς ἴχνος μετέσταν* „transposita sum juxta vetera matris vestigia“; 766 *ἐς γῆν ἐνεγκεῖν* „in littus portare; fr. 6, 4 *ἵκουσ' ἐκ σκότου τόδ' ἐς φάος* (cf. So. El. 419); Prom. 1021 *ἄψορρον ἥξεις ἐς φάος;* Pers. 222 *ἐσθλά σοι πέμπειν τέκνῳ τε γῆς ἔνερθεν ἐς φάος;* 630 *πέμψατ' ἔνερθε ψυχὴν ἐς φῶς;* Cho. 459 *ἄκουσον ἐς φάος μολών;* Suppl. 769 *ἐς νύκτ' ἀποστείχοντος ἡλίου* „sole decedente in

---

1) Hic iterum duo modi secerni possunt; aut enim nihil significatur nisi punctum vel res tacta, aut indicatur scopus et destinatum quod petitur et feritur; cf. Passow. lex. p. 801 a.

2) cf. vero *ἐν πέδῳ βάλλειν* Ag. 1172; *πρὸς πέδῳ βάλλειν* fr. 193.

partem occidentatem"; Prom. 845 *ἐς ταὐτὸν ἐλθὼν τῶν πάλαι λόγων ἴχνος* „me vertens ad . ."; Cho. 299 *πολλοὶ γὰρ εἰς ἓν συμπίτνουσιν ἵμεροι.* Quae tralationes facillimae. —

Interdum etiam cum verbis quae proprie significationem movendi non habent conjungitur *εἰς*, quae constructio omnibus locis quibus ab Aeschylo admittitur neque offensionis quidquam habet et perspicuas imagines efficit. Minime in exemplis huc pertinentibus *εἰς* dictum est pro *ἐν* etiamsi non minus veteres quam homines docti aetatis recentioris falsissimum hoc judicium fecerunt. Semper splendida et poetica pulchritudo apud Aeschylum efficitur admissa voce *εἰς* ubi etiam *ἐν* locum invenire potuit et alibi invenit. Sept. 43 *ταυροσφαγοῦντες ἐς μελάνδετον σάκος* „ita boves mactantes ut sanguis deflueret in clypeum"; Prom. 1078 *εἰς ἀπέραντον δίκτυον ἄτης ἐμπλεχθήσεσθε*, ubi certe *εἰς* vividius pingit homines in miseriae laqueos currentes quam *ἐν*; Pers. 485 *διεκπερῶμεν ἔς τε Φωκέων χθόνα καὶ Δωρίδ' αἶαν* „transeuntes pervenimus in . ."; simili brevitate in Sept. 856 dictum est *ἀμείβεσθαι πάνδοκον εἰς ἀφανῆ τε χέρσον* pro *ἀμειβόμενον μολεῖν εἰς*; Prom. 361 *φρένας γὰρ εἰς αὐτὰς τυπείς*, fulmen enim in ipsum cerebrum penetraverat; magna brevitate in Sept. 49 positum est *μνημεῖά θ' αὑτῶν τοῖς τεκοῦσιν ἐς δόμους πρὸς ἅρμ' Ἀδράστου χερσὶν ἔστεφον*, ubi *ἐς* totius enunciati vim in se continet: „dona quae mittenda erant in domos, quae destinata erant domibus parentum." Sed poeta qui hac in re constans non est neque esse potuit, etiam *ἐν* admisit vel nudos casus. Quum igitur in Prom. 228, Eum. 29 legamus *ἐς θρόνον καθέζεσθαι*, invenies in Suppl. 223 *ἐν ἁγνῷ ἵζεσθε*; Eum. 18 *ἵζει ἐν θρόνοις*, quum Ag. 983 *ἵζει θρόνον* solus accusativus sit positus. In Prom. 348 legi velim *ὅστ' ἐς ἑσπέρους τόπους*, quae scriptio multo facilior si Mediceum respicimus, quam *ὃς πρὸς . .*, eodem sensu est. Num vero in Prom. 558, ubi metri causa mutatio necessaria est, pro-

bem Hermanni conjecturam *λέχος εἰς σὸν ὑμεναίουν*, quae et difficilis est ad explicandum nec mihi quidem pulchrum sensum dare videtur, dubito.

c) Exinde dicendum nobis est de tralatione hujus praepositionis admodum varia. α) De statu et conditione dicitur in quam res adducitur qui usus cum primaria significatione arctissime cohaeret. Prom. 473, 478 *εἰς νόσον πίπτειν;* 191 *εἰς ἀρθμὸν ἐμοὶ καὶ φιλότητά ποθ' ἥξει;* 965 *ἐς τάσδε σαυτὸν πημονὰς καθώρμισας;* 1074 *Ζεὺς ὑμᾶς εἰς ἀπρόοπτον πῆμ' εἰςέβαλεν;* Ag. 1276 *ἀπήγαγ' ἐς τοιάσδε θανασίμους τύχας;* Cho. 913 *μ' ἔρριψας ἐς τὸ δυστυχές;* fr. 282 *εἰς πημονὰς καθῆκε βροτούς.* Imprimis notanda est formula elliptica *ἐς φθόρον* quae invenitur in Sept. 252, quum dictio sit plenior in Ag. 1267 *ἴτ' ἐς φθόρον πεσόντε.* Neque difficilia sunt verba in Ag. 1567 *ἐς τόνδ' ἐνέβης ξὺν ἀληθείᾳ χρησμόν*, quia *ἐμβαίνειν* saepius cum subst. abstr. conjunctum notione utitur „incidere in“ (cf. Plat. legg. III. 686 C *εἰς σκέψιν ἐμβαίνειν*); quare vertas „incidisti in hoc oraculum i. e. pronunciasti, postquam tibi in mentem venit.“ — Quo cum usu arte is connexus est quo *εἰς* dicitur de eis qui ad pugnam congrediuntur aut omnino ad actionem aliquam comparatione spectandam, ut ad colloquia et alias. Pers. 394 *ἐς μάχην ὁρμῶντες;* Eum. 365 *εἰς ἄγκρισιν ἐλθεῖν;* Ag. 1207 *ἦ καὶ τέκνων εἰς ἔργον ἠλθέτην νόμῳ;* i. e. *εἰς τεκνουργίαν.* Locutionem notissimam *εἰς χεῖρας ἐλθεῖν τινι* „pugna congredi cum aliquo“ habes Sept. 680 [1]. β) Ex eo, quod *εἰς* directionem tantum indicare potest, quam quis tenet: „hin nach“, aliae sequuntur tralationes; conjungitur enim saepe cum verbis videndi ut oculorum conjectus aliquo versum directus denotetur; solus accusativus qui et ipse locum invenire potuit, ab hoc *εἰς* c. acc. eo differt, quod praepositio ejusmodi locutionibus

[1]) Exempla hujus usus et ceterarum significationum ex Sophoclis fabulis collata reperies apud Ellendtium I. p. 533 sqq.

multo majorem imprimit ethicam vim, quum simul significetur consideratio et respectus instituendus; Pers. 801 *ἐς τὰ νῦν πεπραγμένα βλέψαντα*, quod non solum est „videns res factas“, sed „in animo volvens et respiciens ea quae gesta sunt.“ Cho. 231 *ἰδοῦ δ᾽ ὕφασμα τοῦτο, σῆς ἔργον χερὸς, σπάθης τε πληγάς, εἰς δὲ* (de Dindorfii scriptione *ἠδέ* cf. ea quae supra monuimus) *θήρειον γραφήν*, ubi cave ne te fugiat variatio quae gradationem aptissimam efficit; Suppl. 103 *ἰδέσθω εἰς ὕβριν βρότειον*[1]. c) Neque longe abest is usus per quem *εἰς* conjungitur cum verbis dicendi ut describatur oratio palam et publice habita, ubi nos dicimus „gegen, vor“; quae dictio imprimis gravis est et grandis. Pers. 161 *ἐς δ᾽ ὑμᾶς ἐρῶ μῦθον* cf. Oed. r. 93; El. 596. b) Dicitur *εἰς* de rebus quae auditum et intellectum tangunt atque ab his percipiuntur; ita Prom. 689 *οὔποτ᾽ ηὔχουν ξένους μολεῖσθαι λόγους εἰς ἀκοὰν ἐμάν;* Pers. 183; Cho. 215 *εἰς ὄψιν μολεῖν* „ante oculos venire.“ e) Ab illa significatione motionis aliquo directae is quoque modus tralationis repetendus est, qua dicitur *εἰς* de actione hominem aliquem afficiente sive bono sive infenso animo praedita. Satis notum est hanc significationem „contra“ apud Homerum nondum inveniri, neque in universum frequentem esse apud Atticos qui *ἐπί* vel *πρός* praeferebant. Sept. 255 *ὦ παγκρατὲς Ζεῦ, τρέψον εἰς ἐχθροὺς βέλος;* Pers. 739 *ἐς δὲ παῖδ᾽ ἐμὸν Ζεὺς ἀπέσκηψεν τελευτὴν θεσφάτων.* De Sept. 628 *δορίπονα κάκ᾽ (ἐκ)τρέποντες ἐς γᾶς ἐπιμόλους*, ubi *ἐς* certa Hermanni conjectura additum est, cf. ipsum ad v. 609; Heimsoeth. „d. indir. Ueberl.“ p. 87. Ag. 510 *τόξοις ἰάπτων εἰς ἡμᾶς βέλη;* 1464 *μηδ᾽ εἰς Ἑλένην κότον ἐκτρέψῃς;* Prom. 945 *τὸν ἐξαμαρτόντ᾽ ἐς θεούς* (cf. So. Oed. C. 968; Ant. 1348); 1086 *εἰς ἄλληλα στάσιν ἀντίπνουν ἀπο-*

---

[1]) Idem exstat discrimen in lingua Graeca inter *ὁρᾶν*, *ἰδεῖν εἴς τι* et *τί*, quod in nostro sermone inter »Etwas sehen« et »auf Etwas sehen.«

δεικνύμενα. Aptissimo sensu sunt verba quae leguntur Cho. 240 *τὸ μητρὸς ἐς σέ μοι ῥέπει στέργηθρον;* significatione ampliore et generali dicitur Sept. 1050 *εἰς ἅπαντας τόδ' ἔργον ἦν* „pertinebat ad omnes". Ag. 384 *οὐ γάρ ἐστιν ἔπαλξις πλούτου λακτίσαντι μέγαν Δίκας βωμὸν εἰς ἀφάνειαν,* quo loco *εἰς ἀφάν.* conjungendum est cum *ἔπαλξις* „tutela contra interitum"; liberiore modo poeta ita dixit, iis verbis, in quibus totius enunciati vis jacet, in fine positis; quae falsissime Karstenius explicavit qui vel eo progreditur ut *εἰς* „contra" significare posse neget [1]. — f) Quod attinet ad usum temporalem *εἰς* non modo significat „usque ad" temporis finem indicans, sed etiam „per, in", ut totum tempus interjectum vel futurum describat. Priorem significatum praebent loci Sept. 21 *νῦν μὲν ἐς τόδ' ἦμαρ;* 744 *αἰῶνα δ' ἐς τρίτον μένει;* Cho. 612 *διαὶ βίου μοιρόκραντον ἐς ἆμαρ;* alterum Ag. 621 *ἐς τὸν πολὺν χρόνον* „per longum temporis spatium"; Eum. 484 *εἰς ἅπαντα χρόνον;* 572 *ἐς τὸν αἰανῆ χρόνον;* 670 *ἐς τὸ πᾶν χρόνου;* 763 *εἰς ἅπαντα πλειστήρη χρόνον,* et formula *εἰς τὸ λοιπόν* „in futurum" Eum. 708; Pers. 526 [2]. Huc traho etiam *εἰς ἀεί* (*εἰςαεί*) „in perpetuum", quod bis exstat: Prom. 732 et Eum. 836; *εἰςόπιν* (*χρόνου*) Suppl. 617, qua voce unus Aeschylus usus est, et *εἰςάπαξ* Prom. 750, cujus vis temporalis probatur verbis oppositis *τὰς ἁπάσας ἡμέρας.* De locutione *εἰς τὸ πᾶν* (semel *εἰς τὰ πάντα* Prom. 736) saepius jure dubitari potest, num sibi velit „omnino, prorsus, omnibus partibus", an „in omne tempus." Aperte autem haec verba habent significationem priorem quae usitatior fuisse

---

[1]) Equidem causam satis gravem cur in Prom. 864 *τοιάδ' ἐς ἐχθροὺς τοὺς ἐμοὺς ἔλθοι Κύπρις* pro *ἐς* scribendum sit *ἐπ'* quod Hermannus acriter vult non video.

[2]) Exempla accusativi temporalis hunc ipsum sensum efficientis apud Aeschylum permulta leguntur; cf. Prom. 95, 939, 751; Eum. 686, 1031 etc.

videtur Prom. 736; Ag. 681; Cho. 940 [1]); Eum. 52; alter vero significatus temporalis inest locis Eum. 291; 538 „ein für alle Mal"; 1044; Cho. 684; in Eum. 200 recte a Cantero *εἰς* mutatum est in *εἷς;* de significatione etsi dubitari potest Eum. 83, 401, 891, tamen mihi hi tres loci videntur explicationem temporalem magis admittere quam alteram. g) Ex dictione *βλέπειν εἴς τι* aliae proficiscuntur paullo rariores significationes tralatae; *α*) notio finis et termini, et *β*) deinde vis simplicior „quod attinet ad, in Ansehung, in Rücksicht auf." Exempla *illius* usus quae inveni haec sunt: Ag. 69 *τελεῖται δ' ἐς τὸ πεπρωμένον* „eveniet secundam fata, ita ut eventus fata petens cum fatis congruat"; Prom. 497 *δυστέκμαρτον ἐς τέχνην ὥδωσα θνητούς* „mortales institui ut discerent"; Cho. 210 *ὑπογραφαὶ ἐς ταὐτὸ συμβαίνουσι τοῖς ἐμοῖς στίβοις* (cf. v. 299); Pers. 440 *συμφορὰν ῥέπουσαν ἐς τὰ μάσσονα* ubi imago desumta est a lance quae tamquam id petens cogitatur ut etiam magis deprimatur; Ag. 1000 *εὔχομαι δ' ἀπ' ἐμᾶς ἐλπίδος ψύθη πεσεῖν ἐς τὸ μὴ τελεσφόρον* „ita ut eventu careant timores mei"; — *hujus* vero Pers. 326 *πρῶτος εἰς εὐψυχίαν* quae conjunctio nihil est nisi gravis circumscriptio accusativi relativi multo frequentioris; Ag. 830 *τὰ ἐς τὸ σὸν φρόνημα* „verba tua quae animum tuum ostendunt". Finis etiam indicatur si *εἰς* conjungitur cum numeris: „ad, circa." Pers. 339 *εἰς τριακάδας δέκα* [2]). — h) Adverbialem vim nactae sunt locutiones *ἐς κοινόν* Prom. 844; Eum. 408; *ἐς μακράν* Suppl. 925 (de qua conferas Schneidew. ad So. Phil. 26; Trach. 962 et Ag. 1650 *τοὔργον οὐχ ἑκὰς τόδε*).

---

1) ubi Meinekius (Philol. 19, 220) *εἰς* ejici jubet; cf. etiam Bergkium in Philol. 15, 547, qui in Eum. 353 scribendum esse censet *εἰς τὸ πᾶν λεύκων*.

2) De Dindorfii proposito in Sept. 373 scribendi *εἰς ἀρτίκολλον ἀγγέλου λόγον πάρα* pro *εἰσ' — μαθεῖν* cujus rationem frustra quaesivi cf. ipsum in Philol. 16, 193.

3. *Composita* cum *εἰς* quae pauca apud Aeschylum leguntur nihil habent quod a consuetudine usitata recedat. Ascribo has raras voces: *εἰςαμείβειν* Sept. 558 „intrare"; *εἰςάφασμα* fr. 204 „tactio violenta"; *εἰςαναγκάζειν* Prom. 290. Hoc praeterea adjiciam, ea composita in quibus *εἰς* revera localem vim habet ut sit „hinein", et conjuncta inveniri cum solo accusativo (Cho. 77; Suppl. 470; Pers. 845; Prom. 122, 1002; Sept. 454) et cum *εἰς* c. acc. (Prom. 1074), ita vero ut prior ratio longe frequentior sit. Pro composito interdum gravitatis causa positum est *εἴσω* c. simplici; cf. *εἰςκομίζειν* Ag. 951 et *ἔσω κομίζειν* 1035; etiam *ἔσω ῥεῖν* Sept. 557; *εἴσω φέρειν* Sept. 560. Rectissime ut constructio vere graeca crearetur Hartungius Pauwio auctore in Pers. 565 scripsit *εἰςακούομεν* pro *ὡς ἀκούομεν* [1]).

II. De praepositionibus quae genetivo et accusativo adduntur.

ΚΑΤΑ.

1. De *forma.* *καταί* certo constat in Prom. 359 in composito *καταιβάτης*. Si recte observavi, tragici in trimetris jambicis *α* finale praepositionum *κατά* et *παρά* in compositis non elidunt quum elisionem saepius patiatur vox *ἀνά*. *κάτθανε*, *κατθανεῖν*, *κατθανών* etc. Ag. 873, 1290, 1303,

1) Aliter verba tractavit Dindorfius in Philol. 13, 476 commendans conjecturam *αὐτόπουν ἀκούομεν*.

1364, 1553, 1610; Pers. 276. Prom. 571 [1]) excipio quae tragici numquam scripserunt aliter; cf. Kruegerum II. 8, 3, 8. Contra in cantico *κάππεσε* legitur Ag. 1553. *καββασίας* quod Hermannus conjecit in Suppl. 828 certum non est sed quod defendi possit; idem in Cho. 775 (787) prorsus contra codicem scripsit *κὰδ δίκαν* quod mihi jure fecisse non videtur quandoquidem, ut ipse concedit, *διὰ δίκας* etiam propter metrum ferri potest [2]). — Anastrophe haec praepositio afficitur voci quam moderatur postposita. Sed hujus collocationis exemplum frustra apud Aeschylum quaeres. Contra nonnullis locis interponitur inter adjectivum et substantivum: Prom. 226, 679; Suppl. 508; Sept. 528, 219; Ag. 668; tamen ne ibi quidem accentus retro ponendus est. Namque primum, uno illo loco Prom. 679 excepto, *α* finale praepositionis elisum est, deinde aliae accedunt causae satis notae quae anastrophen prohibent. Neque in tmesi in qua *κατά* adverbiascit tonus retro cedit: Pers. 101 *θεόθεν γὰρ κατὰ Μοῖρ᾽ ἐκράτησεν* [3]); 670 *νεολαία γὰρ ἤδη κατὰ πᾶσ᾽ ὄλωλε*; 917 *θανάτου κατὰ μοῖρα καλύψαι*; cf. Piersonum in Mus. Rhenan. 11, 113; falsa est Hermanni scriptio et interpretatio in Cho. 574 (568) *κάτ᾽ ὀφθαλμοὺς βαλεῖ* (cf. infra).

2. *De significatione* praepositionis *κατά*

a) cum genetivo conjunctae. Neminem fugere potest *κατά* conjunctum cum gen. et apud prosarios Atticos parvulis finibus uti neque apud poetas saepe ita inveniri adhibitum.

---

[1]) Dobreii et Engeri scriptio *κατθανεῖν* pro *καὶ θανεῖν* in Ag. 550 certa non est.

[2]) Cf. etiam Herm. ad Sept. 210 p. 288; ibi *κὰκ χαλεπᾶς δύας* ponere velle audacissimum est. — In Philol. 19, 215 Meinekius ad Cho. 331 conjecit *καττακέντων* pro *καὶ τεκόντων*.

[3]) Hermannus omnibus locis quibus tmesis est *κάτα* scripsit, quod non probandum est. Etiam alii hanc tonosis rationem secuti sunt, ut Heimsoeth. »d. indin. Ueberl.« p. 137. — Cf. Krueg. gr. gr. II. 68, 48, 4.

Nullus vero tragicorum tam raro κατά c. gen. admisit quam Aeschylus. — Significatio „sub" quae primaria est motum significans ex loco altiore tendentem deorsum uno exemplo apud Aeschylum probatur, Eum. 1007 κατὰ γῆς σύμεναι. Sed saepius usu venit pingens tranquillitatem, quam vim apud Homerum nondum habet, ubi dicitur de inferis in tartarorum tenebris sub terra commorantibus; cf. Blomf. ad Aesch. Pers. 633; Valcken. ad Hippol. 836; So. Oed. C. 1700, 1775. Pers. 689 οἱ κατὰ χθονὸς θεοί i. e. θ. χθόνιοι (628); 475 θεῶν τῶν κατὰ γᾶς ὅδ' ὕμνος [1]); 627. Ag. 1386 τοῦ κατὰ χθονὸς Ἅιδου; Cho. 356 θανοῦσι κατὰ χθονὸς ἐμπρέπων; 376 τῶν μὲν ἀρωγοὶ κατὰ γῆς ἤδη. Aliquanto diversa est significatio praepositionis in Eum. 380 δνοφεράν τιν' ἀχλὺν κατὰ δώματος αὐδᾶται φάτις „nebulosam caliginem in domo et circa domum esse"; cf. Il. 15, 344; Plat. resp. III. 398 A, ubi κατά potestatem habet „um herum, über-

---

[1]) κατά c. acc. nusquam hunc arctum significatum »sub« adeptum est, quod jam lexica docere possunt; quare κατὰ γᾶν, γαῖαν esse nequit »sub terra« vel »sub terram«, sed »in terra« vel »in terram«. Etsi vero per se satis apte dici potest »inferi vel mortui *in* terra, *per* terram habitant, versantur«, tamen Aeschylus quidem semper et saepissime usum generalem Graecorum secutus scripsit accuratius ὑπὸ γῆς (Sept. 588; Cho. 833; Eum. 417; 72 ὑπὸ χθονός), ὑπὸ γᾶν (Prom. 152; Pers. 624; 839 ἄπειμι γῆς ὑπὸ ζόφον κάτω; Eum. 175; Suppl. 722;); γῆς, χθονὸς ἔνερθεν sexies; κάτω χθονός, κατὰ χθονός, γῆς etc., quum ἐν γῇ, ἀνὰ γῆν, κατὰ χθόνα (Eum. 901) etc. semper significent »in dem Lande vel zu Lande«. Quare falsissimum est, quod nonnulli in Pers. 627 lectionem Medicei κατὰ γαίας mutavere in κατὰ γαῖαν; falsissimum quod Hermannus ad illum locum adnotavit: »dici potuit et κατὰ γαίας et κατὰ γαῖαν«; falsissimum quod editores nonnulli paucis illis locis Eum. 374, 833, 871 verba Medicei κατὰ γῆν accepere. Restituendum est κατὰ γῆς id quod jam Dindorfius fecit duobus locis, Hermannus uno. Wieselerus p. 160 frustra κατὰ γᾶν οἰκεῖν defendere conatus est. Hermanni conjectura κατά τε γᾶν οἰχνεῖν neque necessaria est et rejicienda quum etiam sic scribendum fuerit κατά τε γᾶς; cf. Eum. 1007 κατὰ γῆς σύμεναι.

hin". De rejicienda Hermanni conjectura in Pers. 670 κατὰ γᾶς pro κατὰ πᾶς cf. Dindorfium in Philol. 15, 490; repudianda Piersoni quoque judicium in Mus. rhenano 11, 114 sqq. — Ex hac significatione „auf — herab" provenit vis praepositionis patendi et pertinendi ad aliam rem, inprimis conjunctae cum dictionibus vituperationis, ut exoriatur significatus „contra", qui de re maxime infenso animo et nocendi causa suscepta dicitur. Suppl. 485 κατ᾽ ἀρχῆς γὰρ φιλαίτιος λεώς „in magistratus populus opprobria dicere amat"; Sept. 198 ψῆφος κατ᾽ αὐτῶν ὀλεθρία βουλεύσεται; 406 καὐτὸς καθ᾽ αὑτοῦ τήνδ᾽ ὕβριν μαντεύσεται „ipse contra ipsum hoc dedecus praedixerit"; Cho. 221 αὐτὸς καθ᾽ αὑτοῦ (i. e. ἐμαυτοῦ) τἄρα μηχανορραφῶ. — Non ita saepe invenitur locutio adverbium circumscribens κατ᾽ ἄκρας „penitus, funditus", quae inde ab Homero et Ionicis invenitur, quamquam raro apud prosarios; cf. Kruegerum ad Thuc. IV. 112, 2; cujus formulae de ortu jam veteres grammatici dubitabant variasque explicationes proposuerunt. Cho. 691. — Quid in fr. 113 κατὰ τῆς σισύρνης τῆς λεοντέας praepositio significet difficile est ad dijudicandum.

b) Multo plures sunt loci qui praebent κατά *c. accusativo*. Hoc primo loco ponamus κατά c. acc. indicare adjunctionem vel adjectionem duarum rerum, interiore nexu et colligatione non intercedente. Quare fit ut quod attinet ad vim localem κατά c. acc. diversissimas et longe inter se distantes rationes indicare possit. In quibus recensendis incipiamus ab eo praepositionis usu quo κατά habet notionem sequendi motum deorsum factum. Ita κατ᾽ οὖρον αἴρονται φυγήν „sequentes ventum, cum vento" (cf. Trach. 467); Sept. 697 ἴτω κατ᾽ οὖρον — πᾶν τὸ Λαΐου γένος; 845 κατ᾽ οὖρον ἐρέσσετε πίμπιμον χεροῖν πίτυλον, quibus duobus locis κατ᾽ οὖρον metaphorice usurpatum summam pereundi et feriendi celeritatem describit. Neque diversae naturae sunt dictiones Ag. 695 κατ᾽ ἴχνος (cf. Suppl. 538) πλατᾶν ἄφαντον κέλσαντες sc. ἔπλευσαν, quod verbum ex

eis quae praecedunt supplendum est; haec verba non significant „navigaverunt vestigiorum consequendorum causa", sed „vestigia sequentes navigationem fecerunt" (cf. So. Aj. 32 *κατ᾽ ἴχνος ᾄσσω*); Prom. 697 *ὄσσοις δεδορκὼς τοὺς ἐμοὺς κατὰ στίβους* eodem modo explices. — Ita etiam de via dicitur per quam vel in qua itur Eum. 1042 *καθ᾽ ὁδόν* „tenentes, sequentes viam" [1]). — Qui usus dum generalior reddatur eo ducit ut *κατά* adipiscatur notionem diffundendi per locum „durch — hin", et etiam „in", apud verba movendi et quiescendi, ita vero ut cogitandum sit de diffundendo per certum quoddam spatium, in certam quandam directionem, qua ratione aliquanto differt *κατά* ab *ἀνά*. Sed ut jam supra commemoravimus, sive tempore sive causis internis factum est ut praepositio minus finite ponatur, „*in, ad, juxta, circa, e regione*" alicujus rei versari aliquid indicans. *In* vel *per* significat apud verba quietis, eodem fere sensu quo *ἐν* c. dat. Prom. 869 *αὕτη κατ᾽ Ἄργος* (cf. Ag. 24 *ἐν Ἄργει*; Eum. 654) *βασιλικὸν τέξει γένος*; Sept. 6 *κατὰ πτόλιν ὑμνοῖτο* „in tota urbe celebraretur"; 250 *μηδὲν τῶνδ᾽ ἐρεῖς κατὰ πτόλιν*; Ag. 595 *ὀλολυγμὸν ἄλλος ἄλλοθεν κατὰ πτόλιν ἔλασκον*; Pers. 1070 *κατ᾽ ἄστυ*; 871 *κατὰ χέρσον*; 897 *κατὰ κλῆρον Ἰαόνιον* „in finibus Ionicis"; Ag. 243 *πατρὸς κατ᾽ ἀνδρῶνας ἔμελψεν*; Eum. 901 *κατὰ χθόν᾽ οὖσα* „in mea terra commorans"; Suppl. 508 *λευρὸν κατ᾽ ἄλσος νῦν ἐπιστρέφου τόδε* „consiste in hoc vasto luco" (cf. So. El. 567 *παίζων κατ᾽ ἄλσος*); fr, 169, 2 *κατ᾽ Ἰδαῖον πάγον βωμός ἐστι*. Si *κατά* pendet ex articulo ut Ag. 578 *θεοῖς τοῖς κατ᾽ Ἑλλάδα*; Eum. 1015 *πάντες οἱ κατὰ πτόλιν*; Ag. 427 *τὰ κατ᾽ οἴκους*, etiam solus genetivus admitti potuit; sed illud longe gravius. Sic etiam in Eum. 310 *λάχη τὰ κατ᾽ ἀνθρώπους*; 930 *πάντα τὰ κατ᾽ ἀνθρώπους*, quibus locis *κατά* „inter" ad hominum congre-

1) De Eum. 77 *ὑπέρ τε πόντου κατὰ* (non *καὶ*) *περιρρύτας πόλεις* cf. ea quae sub *ὑπέρ* disputavimus.

gationem est tralatum. — „*Ad, juxta, circa,*“ ut locus indicetur in cujus vicinitate aliquid fit vel versatur, *κατά* his locis significat: Sept. 528 *τύμβον κατ' αὐτὸν Ἀμφίονος,* Suppl. 869 *δι' ἁλίρρυτον ἄλσος κατὰ Σαρπηδόνιον χῶμα πολύψαμμον ἀλαθείς* „per fluctuans mare vagans juxta syrtes Sarpedonias“; fr. 33, 2 *κατ' αὐτὸν τύμβον ἀθλίου Λίχα.* — „*E regione, ex adverso*“: Pers. 879 *νᾶσοι αἳ κατὰ πρῶν' ἅλιον* „insulae quae sitae sunt ex adverso promontorii“; Sept. 505 *ἀνὴρ κατ' ἄνδρα τοῦτον ᾑρέθη* „electus est ut se opponat huic viro“, idem quod *συστησόμενος ἀνδρὶ τούτῳ.* Similis est significatio in Cho. 574 *ἢ καὶ μολὼν ἔπειτά μοι κατὰ στόμα ἀρεῖ καὶ κατ' ὀφθαλμοὺς βαλεῖ*, ubi *κατὰ στόμα* et *κατ' ὀφθαλμούς* vim habent „ex adverso, Blick in Blick“; cf. exempla ab Abreschio ad h. l. collata, quae etiam augeri possunt; Blomf. gloss. Cho. 565; falsissima et sensui minus conveniens est Hermanni explicatio et scriptura *κάτ'; βαλεῖ* corruptum quia reflexivum esse nequit; cf. Philol. Suppl. I. p. 620 [1]).

Ad tempus relatum *κατά* non saepe legitur apud Aeschylum; indicat rem vel actionem per temporis spatium patere; sed etiam arctiore significatu ita dicitur ut describat rem aliquam vel factum uno quodam tempore locum habuisse. Sept. 219 *μήποτ' ἐμὸν κατ' αἰῶνα λίποι* „dum ego vivo“; nihil perversius esse potest quam hoc loco cogitare de tmesi (cf. Bothium); Pers. 221 *ἰδεῖν κατ' εὐφρόνην;* Eum. 695 *τό τ' ἦμαρ καὶ κατ' εὐφρόνην ὁμῶς*, ubi non est causa idonea cur *τό τ' ἦμαρ* ad quod et ipsum *κατά* pertinet, mutetur in *κατ' ἦμαρ* (cf. Weilium ad v. 662); Ag. 668 *λευκὸν κατ' ἦμαρ;* Cho. 818 *καθ' ἡμέραν.* Contra in Pers. 841 *καθ' ἡμέραν* est „quotidie, uno quoque die“, ut etiam apud alios scriptores (cf. Oed. C. 1364); namque

---

[1]) v. etiam Piersonum in Mus. rhen. XI, 113, qui tmesin accipiens duplicem eo perductus est ut vertat »nieder hebt er den Mund«, quod ego quidem non intelligo.

nemo nescit, κατά saepissime indicare disjunctionem, distributionem, dissociationem, ante omnia si conjunctum est cum reflexivis, ut in Prom. 1013 αὐθαδία αὐτὴ καθ' αὑτήν „superbia quae seclusa ab omnibus suis ipsius tantum viribus fruitur."

Ex eo usu quo κατά indicat motum aliquo versus tendentem facile prodit significatio consilii cujusdam, designans id quod spectatur et petitur. Sic Eum. 689, quo loco legi velim ἦλθον Θησέως κατὰ φθόρον „ut perderent Theseum"; namque non video, quomodo commode explicari possit κατὰ φθόνον „invidia ductae." — Proxime abest ab hac significatione vis „propter, causa, secundum", convenientiam exprimens aut rationem ejus rei notans qua causa aliqua continetur. Prom. 226 αἰτίαν καθ' ἥντινα αἰκίζεταί με; Pers. 4 κατὰ πρεσβείαν οὓς Ξέρξης αὐτὸς εἵλετο „quos propter senectutem Xerxes elegit"; Suppl. 335 πότερα κατ' ἔχθραν „num inimicitia, odio in Aegyptos commota"; 940 ταύτας ἑκούσας μὲν κατ' εὔνοιαν φρενῶν ἄγοις ἄν, ubi conjungas κατά cum ἑκούσας „obedientes benevolentiae et fiduciae causa"; Sept. 819 πατρὸς κατ' εὐχὰς δυσπότμους φορούμενοι; Suppl. 241 κατὰ νόμους ἀφικτόρων; 390 κατὰ νόμους τοὺς οἴκοθεν „secundum leges, mores" [1]).

Postremo κατά c. acc. apud Aeschylum notionem habet similitudinis, congruentiae, qua una res cum alia comparetur atque cum ea congruere aut ei respondere dicatur. Prom. 890 τὸ κηδεῦσαι καθ' ἑαυτὸν ἀριστεύει μακρῷ „affinitatem contrahere sibi comparem, ratione habita ejus conditionis, in qua ipse homo versatur"; Sept. 829 οἳ δῆτ' ὀρθῶς κατ' ἐπωνυμίαν — ὤλοντο, ubi κατά intime cohaeret cum ὀρθῶς „juste, accurate, scilicet respectu habito ominis quod inerat in eorum nominibus." Quae vis debilitata et laxata eo perducit ut κατά sit „ad instar", praecipue ita

---

[1]) Huc spectat locutio quoque adverbialis κατ' ἴσχυν Prom. 212, synonyma sequenti πρὸς τὸ καρτερόν, »secundum vim, violentiam«.

ut mensurae et moduli ratio habeatur. Huc pertinent frequentes illae locutiones *οὐ κατ' ἄνθρωπον φρονεῖν* Sept. 425; Ag. 925 *λέγω κατ' ἄνδρα, μὴ θεόν, σέβειν ἐμέ;* 351 *κατ' ἄνδρα σώφρον' εὐφρόνως λέγεις*, ubi *κατ' ἄνδρα* idem fere est quod *ὡς ἀνήρ* [1]).

3. *Vocabula cum κατά composita* permulta apud poetam leguntur, quorum e magna copia haec tradimus. In plerisque praepositio vim obtinet motionem indicandi deorsum institutam „herab, nieder", ut in *καταπίπτειν* Ag. 1553; *καθέζεσθαι*, *καθιζάνειν; καταρρίπτειν* „humi sternere" Ag. 884; *καταπτήσσειν* Eum. 253; *κατώρυξ* „in terra defossus, subterraneus" Prom. 448; *καθιππάζεσθαι; καθιέναι λαῖφος* Eum. 555 „vela subducere"; Eum. 369 *ἀνέκαθεν βαρυπεσῆ καταφέρω ποδὸς ἀκμάν* „gravem pedem ex alto desuper impono cervici nefarii"; *κεραυνὸς καταιβάτης* Prom. 358 „fulmen ex coelo a Jove in terram demissum"; *καταιγίζειν* Sept. 63 „turbinis instar ex alto irruere", cf. Philol. Suppl. I. p. 622; similiter etiam in Sept. 1077 dictum est *ὅδε Καδμείων ἤρυξε πόλιν μἀνατραπῆναι μηδ' ἀλλοδαπῶν κύματι φωτῶν κατακλυσθῆν*, imagine sumta de undis quae navem vel homines in profundum rapiunt; opposita est imago in Ag. 1182 *κύματος δίκην κλύζειν πρὸς αὐγάς*. Sunt praeterea multa alia composita in quibus *κατά* praeclaras imagines efficit. Ita in Ag. 105 *ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει Πειθὼ μολπάν*, ubi Peitho cogitatur e coelo juxta Jovem sedens chorum fiducia implere ut cantum incipiat; Pers. 103 *θεόθεν γὰρ κατὰ Μοῖρ' ἐκράτησεν*, ubi etiam tmesis et vox *θεόθεν* indicat Moeram fingi regnantem ex alto; Suppl. 326 *τίς κατέσκηψεν τύχη;* „quod infortunium a deo missum in vos ingruit?"; etc. Imprimis ut notum est ii qui ex terra peregrina exules revertunt dicun-

---

[1]) Wieseler. conjecit ad Eum. 231 *κατὰ κυνηγέτην* (Med.: *κακκυνηγέτης*) »ut venator« ingeniose quidem, sed minus bene quam Hermannianum *κάκκυνηγετῶ*.

tur κατάγεσθαι (Sept. 647, 660; Ag. 1607); κατέρχεσθαι (Sept. 992; Ag. 1647; Cho. 3; Eum. 462); κατιέναι (Ag. 1283); κατοικίζεσθαι (Eum. 755 γαίας πατρῴας ἐστερημένον σύ τοι κατῴσισάς με) [1]. Etiam id ex Graecorum cogitandi est ratione de pugnatoribus qui in arenam descendunt dicere καθήκειν „certamen inire" Cho. 455 (cf. So. Trach. 504); et quandoquidem veteres libentissime naves portum ex alto petentes nuncupabant κατακομιζομένας, etiam Aeschylus perpulchre Prom. 965 ἐς τάςδε σαυτὸν πημονὰς καθώρμισας Prometheum nominat appulsum in portum aerumnarum [2]; cf. fr. 282 τὸ δ' ὠκὺ τοῦτο καὶ τὸ λαιψηρὸν φρενῶν εἰς πημονὰς καθῆκε πολλὰ δὴ βροτούς. —

Trita est etiam vis praepositionis in vocabulis quales sunt καταγελᾶν „deridere" Ag. 1271; καταγέλως 1264; κατεύχεσθαι [3] „imprecari"; κάτευγμα „imprecatio"; in aliis verbis, quorum simplicia jam notionem depravandi et perdendi habent, κατά hanc vim effert, ut in κατάρα, καταισχύνειν, κατάμομφος; aliis imprimit vim „in damnum, perniciem", ut in μόρον καταρράπτειν Πενθεῖ Eum. 26 „necem machinans in perniciem Penthei"; in aliis effert notionem contemptus, ut in κατάπτυστος Cho. 632; Eum. 68, quae significationes omnes prodierunt ex ea vi praepositionis qua describit efficientiam infestam et damnosam.

Deinde ingens [4] est numerus eorum compositorum in quibus κατά auget notionem simplicis. Quo autem magis appareat quomodo sit effectum ut haec vis exstiterit praepositionis, exeundum est ab ejusmodi verbis, in quibus κατά tamquam effectum describit simplicis. Ita κατασφάζειν

---

1) cf. Pors. ad Eur. Med. 1011; Elmsl. ad Med. 983.

2) Aliter, sed minus recte Herm. judicavit ad v. 969, qui verbum mutavit.

3) Sed ut in universum apud Graecos, sic apud Aeschylum hoc verbum magis utitur significatione »precari«.

4) De magna horum verborum copia, inter quae non pauca inveniuntur ἅπ. λεγγ. cf. Dindorfium in Philol. 15, 490.

primariam vim habet „σφάζειν ita ut res mactata humi jaceat", ut etiam nos dicimus „niedermetzeln"; sic res se habet in permultis compositis: κατακτείνειν, καταθάπτειν (Ag. 1553); καταίθειν, καταιθαλοῦν, κατόλλυσθαι, aliis. Sed sunt multa alia, ad quae haec regula non quadret; in quibus κατά significat „accurate, penitus, usque ad finem"; ea enumerare et longum est, et supervacaneum, quum res sit notissima. — Eo quoque labore supersedebo dicere de ejusmodi compositis quae revera pro crucibus interpretum habenda sunt. Sane mireris discrepantias explicationum et ineptias quas multi homines docti protulerunt de vocibus κατηρεφής Eum. 294; κατηρτυκώς 473; καταφθατεῖσθαι 398; κατερρινημένους Suppl. 747; κάτοικος Ag. 1286, multis aliis.

ΔΙΑ.

1. *De forma.* Aeschylus solus διά produxisse videtur in διαί [1]), sed numquam nisi in carminibus lyricis conjuncta est haec praepositio cum genetivo (cf. Krueg. II. 2, 2, 3) [2]). Locus in Cho. 656 quo codex praebet Αἰγίσθου διαί

---

1) Hartungius qui formas διαί et ὑπαί prorsus alienas putat ab usu Atticorum (cf. ipsum ad Ag. 821; Eum. 396; Ag. 404; Cho. 578; fr. p. 101), nescio qua causa ductus, locos omnes quibus exstant audacter mutavit. Confido omnes ejus agendi rationem falsissimam habituros esse.

2) Contra hanc legem faciunt verba illa grammatici in Crameri Anecd. Oxon. I. p. 119, 10; Herm. fr. 455: παρὰ δὲ Ἀττικοῖς προςλαμβάνεται (sc. διά) τὸ ἰῶτα καὶ γίνεται διαί καὶ συντάσσεται γενικῇ καὶ ἰσοδυναμεῖ τῷ ἕνεκα: πᾶσα γὰρ

Τροία δέδορκεν Ἕκτορος τύχης διαί.

Quod fragmentum aperte pars fuit dialogi cujusdam. Forma vero διαί omnino necessaria non est quum vox posita sit in sexto pede (cf. Ag. 590). Mihi persuadere nequeo ut putem hoc rectum esse imprimis quum verba corrupta videantur. Veresimile mihi videtur grammaticum illum falsam corrupti codicis lectionem ante oculos ha-

corruptum esse et emendandum [1]), apertum est. In Ag. 448, 1133; Sept. 233; Cho. 611 libri praebent pessumdatam formam διά quam jam correxerunt. Legitur διαί in codicibus Ag. 1453; 1485; Cho. 641. Omnes conjecturae quibus proponitur διαί c. acc. illico rejiciendae [2]). Haud spernenda est lectio quam Wunderus „de Aeschyli Eumenidibus" p. 21 commendavit ad. v. 491 δίκας διαὶ βλάβα, etiamsi certa non est ac fortasse ne necessaria quidem, quum verba tradita explicatione non egeant. Cf. etiam Zeitschr. f. östreich. Gymnasien 9, 642; Heimsoeth. p. 198, 350 et „indir. Ueberl." p. 149 etc. — Anastrophes utique immune esse διά consensu omnium grammaticorum veterum traditur; cf. Ellendtii lex. I. p. 421; Krueg. I. 9, 11, 3. Quare Dindorfius, Hermannus, alii non recte scripserunt in Sept. 206 πηδαλίων δία; Ag. 590 φρυκτωρῶν δία. Neque id probandum est quod δἰ scripserunt si substantivo postposita est praepositio α finali eliso, ut in Suppl. 254 ἧς δἰ ἁγνός. — Tmesin habes in Sept. 789 διὰ χερὶ ποτὲ λαχεῖν (quo loco iterum Hermannus δία injuria posuit), non vero in Pers. 538 ubi jam secundum Porsoni conjecturam legitur διαμυδαλέοις.

2. *De significatione* praepositionis

a) *cum gen.* conjunctae. Vis primaria praepositionis διά genetivo additae est „per" (quae saepius apud poetas invenitur quam apud prosarios), ut spatium vel res indicetur quae transitur; ac quidem *α*) eo modo ut res quaedam

---

buisse; nonne etiam in Cho. 656 in nostro fonte διαί vitiatum est? Etiam Cobetus in Mnemos. X. p. 344 posuit διά; aliter Dindorfius add. ad H. Stephanum vol. 2 p. 1106 B; Sauppius in Philol. 20 p. 172 judicaverunt, qui διαί retinuere.

[1]) Num Bambergeri βίαν an Schwerdtii δίχα (cf. Mus. rhenan. XI. p. 315) praeferendum sit dubium.

[2]) Cf. Philol. Supplem. I. p. 549. Itaque conjectura negligenda Emperii ad Ag. 715 διαὶ πολιτᾶν μέλεον αἷμα, quam Schneidewinus et Engerus temere acceperunt.

penetretur, deinde relinquatur. Ita *διὰ πυλᾶν βαίνειν* Ag. 407; Sept. 534 *στείχει δ' ἴουλος ἄρτι διὰ παρηΐδων* „per genas proficiscitur ita ut simul jam e genis provenerit"; 563 *ἱκνεῖται λόγος διὰ στηθέων;* in quibus exemplis non minus apte *ἐκ* poni potuit quod positum est Ag. 864 *ἐκ βαθυκόλπων στηθέων ἥσειν ἄλγος;* Sept. 476 *ἐκ πυλᾶν χωρήσεται;* certum tamen discrimen ita quoque esse inter *διά* et *ἐκ* per se patet. Ag. 424 *παραλλάξασα διὰ χερῶν* perpulchre dictum est de somnii viso quod e manibus dormientis qui frustra id capessere studet et retinere effugit; cf. Schneidew. ad. v. 404. Ut Homerus dixit *δι' ὤμου, δι' ἀσπίδος ἦλθεν ἔγχος,* sic ratione liberiore Aeschylus Sept. 888 *τύπτεσθαι δι' εὐωνύμων* i. e. ita percuti ut telum per pectus sinistrum penetret. — *β*) Sed significatio egrediendi deesse quoque potest: „mitten durch, durch - hin" [1]), imprimis apud verba motionis. Eum. 75 *ἐλῶσι γάρ σε καὶ δι' ἠπείρου μακρᾶς;* Cho. 56 *δι' ὤτων φρενός τε δαμίας περαῖνον*; 451 *δι' ὤτων συντέτραινε μῦθον* i. e. „verbum meum per aures tuas penetrare sinas"; cf. Heimsoeth. p. 11; So. El. 757; Eur. Med. 1139; Aesch. Pers. 605 *βοᾷ δ' ἐν ὠσὶ κέλαδος οὐ παιώνιος*; (ita Sophocles quoque de rebus auditis aurem quasi permeantibus dicit Oed. r. 1387; Ant. 1188). — Suppl. 254 *αἶαν ἧς δι' ἁγνὸς ἔρχεται Στρυμών;* 495 *δι' ἄστεως στείχειν;* 547 *ἰάπτει δ' Ἀσίδος δι' αἴας;* 551 *δι' ὀρῶν Κιλίκων διορνυμένα;* 1027 *ποταμοὺς οἳ διὰ χώρας θελεμὸν πῶμα χέουσιν.* Fortasse probanda est propositio Wunderi (de Aesch. Eum. p. 53) ad Eum. 567 *εἶτ' οὖν δι' αὔρας διάτορος κτλ.* collato loco Soph. Oed. Col. 1261 [2]). Multo

---

[1]) cf. Abreschium ad Aesch. I. p. 553 sqq., qui hunc usum, imprimis significationem »praeter, längs«, pluribus illustravit.

[2]) Certo additamento hic versus mutilus non potest suppleri. Aliae propositiones bonitate nihil cedunt conjecturae Wunderi; ita Franzio placuit quod Emperius excogitavit *διάτορος αἰθέρος;* Heimsoethio *δι' ὤτων διάτορος.*

rarius sed interdum etiam a prosariis *διά* ita dicitur conjunctum cum verbis quietem pingentibus, ut ab *ἐν* non differat. Sept. 593 *βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος.* Usitatiores erant locutiones quales *διὰ χερὸς (χερῶν) ἔχειν* „in manu tenere" Suppl. 193; paullo audacior est dictio *φλέγει δὲ λαμπὰς διὰ χερῶν* Sept. 433 „flagrat fax quam in manibus gestat"; *διὰ χερὸς βέλος φλέγων* 513; *αἰχμὴ διὰ χεροῖν αὐτοῖς πρέπει* Pers. 239; quibus exemplis omnibus locus indicatur, non instrumentum. —

Tralationes hujus significatus apertae sunt; quibus semper describitur motus. Ita pervulgares sunt locutiones *δι' ἀπεχθείας ἐλθεῖν* Prom. 121 i. e. *ἀπεχθάνεσθαι; διὰ μάχης τέλους ἥκειν* Sept. 475 i. e. *μάχεσθαι,* pugnae arbitrio se committere; in quibus viae adsignificatio inest. De hujuscemodi circumscriptionibus v. Bernhardy. p. 235; Elmsl. ad Eur. Med. 842; Brunckium ad Oed. r. 773; Papium in lex. gr. I. p. 491 a.

Notione penetrandi nituntur permultae formulae, quarum nonnullae adverbiali vi sunt praeditae. Ante omnia *διὰ τέλους* „ad finem usque, omnino, constanter." Prom. 273 *ὡς μάθητε διὰ τέλους τὸ πᾶν;* Eum. 64 *διὰ τέλους δέ σοι φύλαξ.* Minus saepe apud Atticos invenitur *διὰ παντός* eundem sensum involvens: Prom. 283 *διὰ παντὸς ἀκοῦσαι*; Prom. 975 *νικᾷ δ' ἀγαθῶν ἔρις ἡμετέρα διὰ παντός;* Cho. 862. Simile est *διὰ δίκας* i. e. *δικαίως* Cho. 786. Ut hic via ratioque describitur per quam quid fit, sic etiam in fr. 209, 6, ubi verba *διὰ ζωῆς ἀτμοί* paulo obscuriorem sensum continent: „halitus qui hominem viventem et sanum decent."

A spatio permeando deflexum est cum *διά* temporalis significationis vices tenet; sed duplex usus discernendus; aut enim *διά* indicat temporis perpetuitatem ut sit „per", aut distantiam: „inde a, post." Ag. 554 *τὸν δι' αἰῶνος χρόνον* „per totam vitam"; Suppl. 582; Eum. 565; Cho. 26 *δι'*

αἰῶνος [1]); 612 διαὶ βίον. Sed in Pers. 741 διὰ μακροῦ χρόνου est „post multum temporis.“ — Huc etiam pertinet locutio δι᾽ ὀλίγου Sept. 761, quam alii non recte interpretati esse videntur „haud procul, parvo spatii intervallo“; quae explicatio etsi per leges grammaticae perbene admitti potest (cf. Krueg. I. 68, 22, 3), tamen aptius videtur δι᾽ ὀλίγου referre ad tempus ut sit „per breve tempus“; similiter Sophocles dixit Ag. 705 διὰ παντός i. e. ἀεί; cf. Valcken. ad Eur. Phoen. 1105.

Instrumentum διά c. gen. indicat et conjunctum cum personis et cum rebus. Discrimen quod inter genetivum et accusativum intercedit id est ut ille casus describat instrumentum organicum, hic causam efficientem (organisch — aitiatisch; cf. Krueg. I. 68, 23); sed quum ne scriptores quidem hoc discrimen tenuerint, tum poetae saepissime declinaverunt. Ag. 590 φρυκτωρῶν διὰ πεισθεῖσα; Sept. 233 διαὶ θεῶν [2]) πόλιν νεμόμεθ᾽ ἀδάματον „dei auctores sunt“; 903 κτέανα δι᾽ ὧν νεῖκος ἔβα „quorum causa lis coorta est“; Ag. 447 πεσόντ᾽ ἀλλοτρίας διαὶ γυναικός „aliena mulier causa est mortis“; 1133 κακῶν γὰρ διαὶ πολυεπεῖς τέχναι θεσπιῳδοὶ φόβον φέρουσιν μαθεῖν „ob id ipsum quod oracula nihil continent nisi calamitatis spem“; 1453 πολλὰ τλάντος γυναικὸς διαί; 1485 διαὶ Διός, quod Hartungius mutavit in δύαι Διός, quam conjecturam non necessariam Engerus accepit; optimus vero sensus exoritur dum διαὶ Δ. arte conjungas cum verbis quae antecedunt. Quod etiam Cho. 641 διαὶ Δίκας non negligendum est. Suppl. 536 Ἰοῦς δι᾽ ἇς τοι γένος εὐχόμεθ᾽ εἶναι γῆς ἀπὸ τᾶσδ᾽ ἔνοικοι, ubi

---

1) cf. etiam Herm. ad Pers. 979, qui conjecit οἶαι δι᾽ αἰῶνος τύχαι; Heimsoeth. »die indirecte Ueberlieferung des aesch. Textes« p. 77; alii illo loco δαίμονες posuerunt, quod et Hermanno et Dindorfio placuit.

2) Sensus hujus locutionis non multum differt a σὺν θεοῖς Sept. 450; Ag. 913; 961; θεόθεν Pers. 104; Sept. 324.

etiam nunc quaeritur an non *δίας* scribendum sit, id quod Cho. 641 nullo pacto concedendum est.

b) *διά c. acc.* apud solos poetas (maxime in canticis) locum significat per quem res transgreditur [1]). Suppl. 15 *φεύγειν διὰ κῦμ᾽ ἅλιον* ubi respectus fit navis undas secantis; Pers. 501 *περᾷ κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον* quo uno loco apud Aeschylum praepositio invenitur conjuncta cum verbo *περᾶν* quum octies legatur simplex accusativus; Suppl. 868 *ὄλοιο δι᾽ ἁλίρρυτον ἄλσος* ubi *διά* additum verbo quietis significat „in" [2]); Sept. 856 *πίτυλον ὃς αἰὲν δι᾽ Ἀχέροντ᾽ ἀμείβεται τὰν ναύστολον θεωρίδα* quae constructio rarissima est et fortasse nullo alio loco [3]) usu venit; de tmesi propter sequentem accusativum *θεωρίδα* cogitari nequit [4]); quare hic locus comparandus est cum Pers. 501, quem modo laudavimus. — Formula Homerica *διὰ στόμα* a poetis saepius admissa est (cf. vero exempla allata sub *ἀπό* et *ἐκ*); in Sept. 51 *οἶκτος δ᾽ οὔτις ἦν διὰ στόμα;* 579 *λέγει δὲ τοῦτ᾽ ἔπος διὰ στόμα;* 493 *Τυφῶν ἱέντα πύρπνοον διὰ στόμα λιγνὺν μέλαιναν* nihil offensionis inest quia revera querelae, verba, fumus per os transgrediuntur.

Propria vero vis praepositionis *διά* c. acc. conjunctae ea est ut significet causam efficientem: „propter". Prom. 123 *δι᾽ ἀπεχθείας ἐλθόντα διὰ τὴν λίαν φιλότητα βροτῶν;* Ag. 699 *κέλσαντες δι᾽ ἔριν αἱματόεσσαν* „appulerunt propter

---

1) Vix discrimen investigetur inter gen. et accusativum.

2) Quaeritur tamen an non aptius sit haec verba conjungere cum iis quae sequuntur ut dependeant a verbo *ἀλαθείς*.

3) Namque in Cho. 1018 *οὔτις μερόπων ἀσινῆ βίοτον διὰ πάντ᾽ ἄτιμος ἀμείψεται* sine dubio *διὰ παντός* rectissime restitutum est quod trahas ad sequens adjectivum (*εὔθυμος*, *ἄλυπος*, *ἀτίτης*, *ἄλυμος*??) »prorsus, omnibus partibus felix«; nam *βίοτον* epitheto non modo non eget, sed ne patitur quidem alteram adjectionem. Quare Hermannum errasse putaverim (et Heimsoethium p. 63).

4) *διαμείβεσθαι* c. acc. duobus locis legitur apud Aeschylum sensu »transire, peragrare«. Suppl. 543; fr. 156.

certamen cruentum i. e. ut inciperent bellum"; Cho. 66 δι᾽ αἵματ᾽ ἐκποθένθ᾽ ὑπὸ χθονὸς τροφοῦ τίτας φόνος πέπηγεν; Eum. 981 δι᾽ ὀργάν „ira incensus" (cf. vero δι᾽ ὀργῆς in So. Oed. r. 807 et ὀργᾷ Ag. 215); Suppl. 105 δι᾽ ἀμὸν γάμον τεθαλὼς δυσπαραβούλοισι φρεσίν; 107 δι᾽ ἄνοιαν μαινόλιν κέντρον ἔχων ἄφυκτον (ut ibi scholiastes ambiguus erat utrum δι᾽ ἄνοιαν an διάνοιαν scriptum fuisset, sic etiam homines docti nostrae aetatis). — Falsissime nisi egregie fallor judicaverunt de loco in Pers. 564 διὰ δ᾽ Ἰαόνων χέρας. Metrum et sensus dilucide docent διά corruptum esse. Omnes conjecturae prolatae rejiciendae; ambigi nequit eam lectionem quam olim a Sauppio viro doctissimo audivi rectam esse: αἱ δ᾽ Ἰαόνων χέρες.

Forma gravior praepositionis διά est διαμπάξ adverbium, quod cum gen. conjunctum invenies Prom. 65 στέρνων διαμπάξ; Suppl. 944 τῶνδ᾽ ἐφήλωται γόμφος διαμπάξ. Imprimis nervosa est cumulatio illa Suppl. 547 ἰάπτει δ᾽ Ἀσίδος δι᾽ αἴας μηλοβότου Φρυγίας διαμπάξ quae tamen Aeschylo non propria est sed imprimis apud posteriores saepius reperitur. Conferas etiam διαμπερές Cho. 380 quod per se stat significans „penitus".

3. De *compositis* quae saepissime leguntur paucis absolvemus, cum omnia fere accommodata sint usui generali. Primum indicant transitum vel permigrationem per rem aut spatium, cum proprie tum tralate. Sic διαβαίνειν, διαβάλλειν πόρον Pers. 864; fr. 71, 4; διαΐσσειν Prom. 133 dictum de clamore antrum penetranti; διήκειν, διόρνυσθαι, διαπερᾶν; διατέμνειν γαῖαν „permeare" Suppl. 545; διάτορος dictum de vinculis quae carnem ejus qui vincitur secant Prom. 76 [1]); de metu qui animum implet 181; de tuba

[1]) Longe aliter Hermannus vocem accepit, explicans: »dicuntur compedes perforatae, non quod annulorum instar crura amplectantur, sed quod foramina habent per quae clavi adacti eas saxis affigant«.

cujus clangor per aera resonat Eum. 567; *αἰῶνα διοιχνεῖν* 315 etc. [1]) Tum saepe *διά* in compositis actionem ad finem usque ducendam vel per omnes partes perficiendam significat: *διαπράσσειν* (Cho. 739; Eum. 953); *διαφρουρεῖν βίον* „vitae vigiliam penitus exigere" fr. 280; *διαρκεῖν* „penitus sufficere" Sept. 842; quo factum est ut saepius composita nihil sint nisi simplicia vi aucta: *διαπορθεῖν* Pers. 714; *διαφθείρειν*, *διαπάλλειν* fr. 306, 4; *διακναίειν* Prom. 94, 541; *διαμαθύνειν* „prorsus exstinguere" (cf. Eum. 37); Ag. 824 [2]); *διόλλυσθαι; δίυγρος* Sept. 985 „omnibus partibus madidus"; de *διαίμων* cf. Herm. ad Pers. 979. Notanda quoque verba administrandi *διέπειν* Eum. 931; Pers. 106; *δίοπος* Pers. 45 (ubi v. Herm.); *διαπονεῖσθαι* Ag. 19, de quo dubitatur (cf. Hart., Weilium). — Notio separandi quoque et secernendi inest praepositioni, ut in *διακληροῦν* „sorte distribuere" Suppl. 978; *διαλαγχάνειν* „sorte dividere"; *διαρταμεῖν* „discerpere" Prom. 1023 cf. Herm. ad Sept. 909. — *διαφέρειν* vero in Cho. 68 minime esse potest „lacerare", quod scholiastes voluit interpretatus *διασπαράσσειν*, sed significat „differre"; — *διαπάλλειν* „sorte distribuere" Sept. 731; ita etiam *δίκην*, *πρᾶγμα διαιρεῖν* Eum. 472, 488, 630; *δίκην διαγινώσκειν* 709; *διαπεύθεσθαι* Ag. 807 quibus verbis vis inhaeret segregandi rectum a falso et rem dirimendo et dijudicando decernendi. Etiam *διαστοιχίζεσθαι* Prom. 230 huc spectat, id quod clare probat Hesychii, qui hunc locum respexisse videtur, explicatio (cf. Blomf. et Hart.). Multis agere de compositis quales sunt *διαπρέπειν*

---

[1]) Ambigi non potest, adjectivum *διαλγής* Cho. 68, quod esse voluerunt multi »doloribus lacerans« corruptum esse.

[2]) De *διατιμᾶν* verbo, quod a Mediceo praebetur Sept. 1047, neque vero constat, videas Herm. ad v. 1031; Heimsoeth. »die indir. Ueberl.« p. 132. Uterque *δυστετίμηται* conjecit, quod sententia flagitare videtur.

„conspicuum esse inter alios“ Pers. 1006 [1]); *διαλλάσσειν* „conciliare“, *διαδοχή* „successio“, *διαπόντιος* „transmarinus“ Cho. 352; aliis, a consilio meo remotum esse videtur et inutile.

---

[1]) Quod vocabulum ne certo quidem constat hoc loco perdifficili, de quo relego ad Hermannum, cujus tamen conjecturam minime pro certa habuerim.